In Hieremiam Prophetam Libri Sex (Latin)

Jerome (c. AD 347–420)

SermonIndex.net / Church Fathers

Contents

Book pr: Prologus **1**

Liber Primus **3**

Liber Secundus **37**

Liber Tertius **73**

Liber Qvartus **107**

Liber Qvintus **142**

Liber Sextus **176**

Book pr: Prologus

Post explanationes duodecim prophetarum, Isaiae, Danihelis et Hiezechiel ad extremum in Hieremiam manum mittimus tibi, frater Eusebi, eiusdem commentariolos dedicantes, ut euangelicum uirum Mattheo euangelistae copules, quem ante annos plurimos strictis sensibus te hortante disserui. et quia uolumen longissimum est et in plerisque manifesta historia texitur, illud prudentiam tuam ammoneo, ne quaeras in hoc latam explanationem, super his maxime, quae iam et in prophetis aliis dicta sunt et per se patent intellegentiae. sicque conabor notariorum manu scribere, ut nihil desit in sensibus, cum multum desit in uerbis.

stamina tibi atque subtegmina et licia praeparabo, tu pulcherrimam uestem ipse conficito, ut non solum nos audire, sed et alios docere possis. libellum autem Baruch, qui uulgo editioni Septuaginta copulatur nec habetur apud Hebraeos, et ψευδεπίγραφον epistulam Hieremiae nequaquam censui disserendam, sed magis Hieremiae ordinem librariorum errore confusum multaque, quae desunt, ex Hebraeis fontibus digerere ac conplere, ut nouum ex ueteri uerumque pro corrupto atque falsato prophetam teneas, paruipendens obtrectatorum rabiem, qui non solum uerba, sed syllabas quoque nostrorum uerborum calumniantur in eo se scire aliquid arbitrantes, si de alienis operibus detrahant.

ut nuper indoctus calumniator erupit, qui commentarios meos in epistulam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat nec intellegit nimia stertens uaecordia leges commentariorum, in quibus multae diuersorum ponuntur opiniones uel tacitis uel expressis auctorum nominibus, ut lectoris arbitrium sit, quid potissimum eligere debeat, decernere, quamquam et in primo eiusdem operis libro praefatus sim me uel propria uel aliena dicturum et ipsos commentarios tam ueterum scriptorum esse quam nostros.

quod non uidens praecursor eius Grunnius olim nisus est carpere, cui duobus respondi libris. quae iste quasi sua profert, et alio iam calumniante purgata sunt, ut praeteream contra Iouinianum uolumina, in quibus dolet uirginitatem nuptiis et nuptias digamiae et digamiam polygamiae esse praelatam. nec recordatur stolidissimus et Scottorum pultibus praegrauatus nos in ipso dixisse opere: non damno digamos, immo nec trigamos et, si fieri potest, octogamos; plus aliquid inferam,

etiam scortatorem recipio paenitentem; quidquid aequaliter licet, aequali lance pensandum est.

legat eiusdem operis apologian, quam ante annos plurimos aduersum magistrum eius gaudens Roma suscepit, et tunc animaduertet alienis se uocibus blasphemare et in tantum esse imperitum, ut ne maledicta quidem habeat propria, sed inimicorum etiam olim sepultorum contra nos utatur rabie. sed iam propositum opus aggrediendum est.

Liber Primus

Uerba Hieremiae, filii Helchiae, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin. quod factum est uerbum domini ad eum in diebus Iosiae, filii Amon, regis Iuda, in tertio decimo anno regni eius. et factum est in diebus Iosiae, filii Iosiae. regis Iuda, usque ad consummationem undecimi anni Sedeciae, filii Iosiae, regis Iuda, usque ad transmigrationem Hierusalem in mense quinto.

Ceteri prophetae, ut Isaias, Osee, Iohel, fuerunt ante captiuitatem decem tribuum Israhel siue duarum tribuum Iudae et Beniamin; alii post captiuitatem, ut Danihel, Aggeus et Zacharias; Hieremias uero et Hiezechiel inminente captiuitate uaticinium texuerunt, sed alter eorum in terra Iuda, alter in Babylone.

Hieremias cum esset adhuc puer, prophetare coepit anno tertio decimo Iosiae, filii Amon, regis Iudae, prophetauitque in imperio eius annis decem et nouem et postea sub Ioiacim filio eius annis undecim et sub Sedecia, qui ultimus fuit regum Iuda. annis undecim usque ad quintum mensem, quando a Babyloniis capta est Hierusalem. Ioachaz uero et Iechoniae terni menses — quorum alter in Aegyptum, alter cum matre ductus est in Babylonem — in supradictis annis conputantur.

ac per hoc ab exordio prophetiae suae usque ad captiuitatem Hierusalem, in qua et ipse captus est, prophetauit annis quadraginta et uno praeter illud tempus, quando ductus est in Aegyptum. ibique prophetauit in Taphnis, ut hoc ipso uolumine continetur. pro \’uerbis Hieremiae\’ Septuaginta posuerunt : uerbum dei quod factum est ad Hieremiam, hoc uidelicet sensu, quod uerba Hieremiae\’ uerbum sit domini. fuit autem de genere sacerdotum, qui habitabant contra septentrionem Hierusalem in tertio miliario et uiculo Anathoth. simulque admirabilis clementia domini, quod iam captiuitate uicina et Babylonio exercitu uallante Hierusalem nihilominus populum ad paenitentiam prouocat malens saluare conuersos quam perdere delinquentes. pro \’transmigratione\’, quod omnes alii uoce consona transtulerunt, LXX posuere \’captiuitatem\’. post exordium autem uaticinationis Hieremiae, tricesimo quinto prophetiae eius anno, Hiezechiel in Babylone his, qui cum eo capti fuerant, exorsus est prophetare.

Et factum est uerbum domini ad me dicens: priusquam te formarem in utero, noui te; et antequam exires de uulua, sanctificaui te, prophetam gentibus dedi te. Non quo ante conceptionem, ut heresis suspicatur, fuerit Hieremias, sed quo praescierit eum futurum dominus, cui necdum facta iam facta sunt, secundum illud quod apostolus loquitur: qui uocauit ea quae non erant quasi ea quae essent.

quod autem sanctificatur in utero, iuxta illud apostoli debemus accipere: postquam autem placuit ei, qui me segregauit de utero matris meae et uocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me, ut euangelizarem eum in gentibus. Iohannes quoque Baptista sanctificatur in utero et spiritum sanctum accipit et mouetur in uulua et per os matris loquitur. quod autem dixit;

prophetam gentibus dedi te, illud uult intellegi, quod in ipso postea propheta lecturi sumus, quod non solum Hierusalem, sed et multis in circuitu gentibus prophetarit. quidam hunc locum super saluatore intellegunt, qui proprie propheta gentium fuit et per apostolos uocauit omnes nationes. iste enim uere priusquam in utero uirginali formaretur et antequam exiret de uulua matris, sanctificatus in utero est et notus patri, quippe qui semper in patre et in quo semper pater.

Et dixi: ah, ah, ah, domine deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. LXX: et dixi, o domine deus, nescio loqui, quia iuuenis sum. Detestatur officium. quod pro aetate non potest sustinere, eadem uerecundia, qua et Moses tenuis et gracilis uocis esse se dicit. sed ille quasi magnae robustaeque aetatis corripitur, huic pueritiae datur uenia, quae uerecundia et pudore decoratur.

Et dixit dominus ad me: noli dicere: puer sum, quoniam ad omnia, quae mittam te, ibis et uniuersa, quaecumque manda uero tibi, loqueris. ne timeas a facie eorum, quia tecum sum, ut eruam te, dicit dominus . \'Ne aetatem\', inquit, \'consideres — alio enim propheta loquente didicisti: cani hominis sapientia eius—, tuae sit tantum uoluntatis, ut pergas; me habebis comitem, quo cuncta adiuuante conplebis: aperi os tuum, et implebo illud.

nec consideres multitudinem eorum, ad quos et contra quos locuturus es, sed me qui tecum sum, ut eruam te, dicit dominus\', liberat autem dominus, non quo propheta persecutionibus et angustiis careat, quippe cum legamus eum multa perpessum, sed ut patiens omnia superet nec cedat angustiae.

Et misit dominus manum suam et tetigit os meum et dixit dominus ad me: ecce ego dedi uerba mea in ore tuo. Notandum quod hic manus mittatur dei, quae tangat os prophetae, et dicatur ei: ecce dedi uerba mea in ore tuo, in Isaia autem scriptum sit: et missus est unus ad me de seraphim et in manu habebat carbonem, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum et dixit: ecce tetigit iste labia tua et auferet iniquitates et peccata tua mundabit.

ibi enim, quia solidae et perfectae aetatis erat et ipse simpliciter confitetur, quod inmunda labia habeat et habitet in medio populi inmunda labia habentis, mittitur unus de seraphim, qui non manu, sed forcipe et carbone tangat os eius et iniquitates auferat et mundet peccata. hic autem ipsius dei manus mittitur, per quam cuncta operatus est, et quae in alio loco bracchium dicitur, non ut peccata auferat, quae per pueritiam multa non fecerat, sed ut loquendi gratiam tribuat.

porro Hiezechiel librum deuorat et intus et foris scriptum, tam sacramenta diuina quam simplicem historiam continentem. Hieremiae os tangitur et domini uerba tribuuntur, ut confidentiam accipiat praedicandi. pulchreque iuxta litteram manus mittitur, ut humanorum artuum uidens similitudinem tactum manus non reformidet.

Ecce ego constitui te hodie super gentes et super regna, ut euellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes. Hoc, quod nos de Hebraico addidimus \'dissipes\' siue \'deponas\', in LXX non habetur. et considerandum quod quattuor tristibus duo laeta succedant. neque enim poterant aedificari bona, nisi destructa essent mala, nec plantari optima, nisi eradicarentur pessima.

omnis enim plantatio, quam non plantauit caelestis pater, eradicabitur, et aedificatio, quae super petram non habet fundamentum, sed in harena exstructa est, sermone dei suffoditur atque destruitur. illam autem, quam consumet Iesus spiritu oris sui et destruet aduentu praesentiae suae, omnem scilicet sacrilegam peruersamque doctrinam, disperdet in perpetuum.

porro ea quae eleuantur contra seientiam dei et in sua confidunt sapientia, quae apud deum stultitia est, dissipabit atque deponet, ut aedificentur pro his humilia, et in locum superiorum, quae destructa sunt et euulsa, exstruantur atque plantentur, quae ecclesiasticae conueniunt ueritati, et impleatur illud quod dicit apostolus: dei aedificatio, dei agricultura estis.

multi hunc locum super persona Christi intellegunt. \'Hieremias\' enim interpretatur (excelsus domini\', qui destruxit regna diaboli, quae sibi in excelso montis ostenderat, aduersarias perdidit potestates delens chirographum errorum in cruce. de quibus et in psalmo post historiae ueritatem τροπικῶς loquitur: quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? adstiterunt reges terrae et principes conuenerunt in unum.

pro his euulsis, destructis, perditis et in inferiora detractis aedificatur atque plantatur ecclesia dei. super Hieremiae autem persona nulla dubitatio est; legimus enim in consequentibus, quod in manu accipiat calicem meri plenum et propinare iubeatur cunctis in circuitu nationibus.

Et factum est uerbum domini ad me dicens: quid tu uides, Hieremia? et dixi: uirgam uigilantem ego uideo. et dixit dominus ad me: bene uidisti, quia uigilabo

ego super uerbo meo, ut faciam illud. Pro \'uirga uigilante LXX \'baculum nuceum\' transtulerunt. laborandum igitur nobis est, ut breuiter Hebraeam ἐτυμολογίαν Latinus lector intellegat.

\'saced\' \'nux\' dicitur, \'uigilia\' autem uel \'uigil ? siue \'uigilare\' appellatur \'soced\'. unde et in posterioribus pardus uigilans hoc nomine ponitur. ab eo igitur quod dicitur \'nux\', propter uerbi similitudinem ad \'uigilis\' intellegentiam nomen adlusit. quod quidem et in Danihel iuxta Theodotionem scriptum est, ut ab arboribus schinu et prinu, ilice uidelicet et lentisco, scissio atque serratio adulteris presbyteris decernatur. alioquin et in principio Geneseos a \'uiro\', qui dicitur \'is\', appellatur mulier \'issa\', quasi quaedam uirago, eo quod de uiro sumta sit.

pro \'baculo nuceo\' urigam uigilantem Aquila et Symmachus, Theodotio uero \'amygdalinam\' transtulerunt. uigilat autem uirga cuncta populi peccata considerans, ut percutiat et corripiat delinquentes. unde et apostolus scribit peccantibus: quid uultis? in uirga ueniam ad uos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? ista est uirga uel baculus, de qua et Dauid loquitur: uirga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. pulchreque posuit (consolata sunt\'; ad boc enim dominus corripit, ut emendet. et quomodo nux siue amygdalum

amarissimam habet corticem et testa durissima cingitur, ut detractis austerioribus et duris fructus dulcissimus repperiatur, sic omnis correptio et labor continentiae amara quidem uidetur ad praesens, sed fructus parit dulcissimos. unde et uetus illa sententia est: litterarum radices amarae, fructus dulces. quidam uirgam uigilantem atque nuceam intellegunt dominum, de quo dicit Isaias: exiet uirga de radice Iessae. unde et uirga Aaron, quae putabatur emortua, in resurrectione domini floruisse narratur.

Et factum est uerbum domini secundo ad me dicens: quid tu uides? et dixi: ollam succensam ego uideo et faciem eius a facie aquilonis. et dixit dominus ad me : ab aquilone aperientur — siue exardescent — mala super omnes habitatores terrae.

Quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur, ut paulatim ueniant ad salutem: qui noluerint percutiente uirga emendari, mittuntur in ollam aeream atque succensam, de qua plenius scribit Hiezechiel, quae a facie aquilonis accenditur, Babylonium regem significans et urbem Hierusalem. pulchreque infertur: ab aquilone exardescent mala super omnes habitatores terrae — uel terrae Iudaeae uel certe uniuersae terrae—, de quibus et in Apocalypsi scriptum est: uae super omnes habitatores terrae.

sancti enim non sunt habitatores terrae, sed aduenae atque peregrini, quorum unus dicit: aduena ego sum super terram et peregrinus sicut omnes patres mei, et alius: parui sunt et pessimi dies mei, quibus ego peregrinor in terra. unde et Petrus catholicam epistulam scribit aduenis atque peregrinis Ponti, Galatiae et Cappadociae. et iuxta mysticos intellectus Salomon loquitur: aquilo durus uentus,

nomine autem dexter uocatur, ab his uidelicet, qui eius obriguere frigore et calorem fidei perdiderunt.

Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, ait dominus, et uenient et ponet unusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem et super omnes muros eius in circuitu et super uniuersas urbes Indae. et loquar iudicia mea cum eis super omni malitia eorum, qui dereliquerunt me et libauerunt dis alienis et adorauerunt opus manuum suarum.

Nulli dubium multas gentes et singularum gentium reges Babylonio regi fuisse subiectas; qui obsessa Hierusalem posuerunt in circuitu, et maxime in exitibus portarum, thronum suum atque tentoria, ne quis eorum qui clausi erant posset erumpere, et non solum Hierusalem, sed omnes urbes Iudaeae simili obsidione uallatas. \'cumque\', ait, capta fuerit ciuitas, tunc loquar ad eos recta mea fuisse iudicia et recepisse singulos quod merebantur, non pro ceteris uitiis, quibus subiacet humana condicio, sed maxime pro idololatria, per quam deserentes me adorauerunt opera manuum suarum\'.

quidam hunc locum in bonam partem accipiunt, quod uidelicet hi, qui in olla aenea excocti fuerint per cruciatus atque purgati, postea principes sint Hierusalem et, postquam misertus fuerit eorum dominus, tunc exprobret eis, quia se deserto simulacra uenerati sunt. sed haec uiolenta et praua interpretatio est; ne calumniam faciat tractator indoctus.

Tu ergo accinge lumbos tuos et surge et loquere ad eos omnia, quae ego praecipio tibi. Et Iob praecipitur, ut accingat lumbos suos, et apostolis, ut accinctis lumbis, quos Helias et Iohannes Baptista zonis mortificauere pelliciis, lucernas teneant in manibus suis, praedicationis uidelicet euangelicae.

quicumque igitur locuturus est sermones dei, debet accingere lumbos suos sciens, quod diaboli omnis uirtus in lumbis sit et iustus dicat in psalmis: lumbi mei impleti sunt inlusionibus. cumque accinxerit lumbos, audiat illud quod scriptum est: surge, qui dormis, et eleuare, et inluminabit te Christus, ut semper uigilans et de somno consurgens loquatur, quae sibi praeceperit deus.

Xe timeas a facie eorum; nec enim timere te faciam uultum eorum, siue ut Septuaginta et ceteri habent interpretes: ne forte timere te faciam. Et est sensus iuxta translationem nostram: \'noli timere a facie eorum; me enim adiutore eos timere non poteris\'; iuxta Septuaginta: \'noli timere a facie eorum, habeto meae confidentiam iussionis; si enim non optuleris quod habes, ut timere desinas, derelinquam te et tradam timori et quodammodo uidebor timere te facere, dum relinquo formidini\'.

hoc autem significat, quod semper amara sit ueritas nec timenda hominum multitudo, qui increpiti correptionem non sustinent, sed insidias tendunt ei a quo corrip-

iuntur. quodque iuxta Septuaginta sequitur: quia tecum sum, ut liberem te, dicit dominus, in Hebraico non habetur. et est sensus: \'eruam te, non in eo ut tibi nullus insidietur, sed in eo ut patiens insidias non delinquas\'.

Ego quippe dedi te hodie — siue ecce posui te in hac die — in ciuitatem munitam, in columnam ferream et in murum aeneum super omnem terram: regibus Indae, principibus eius et sacerdotibus et populo terrae. et bellabunt t aduersum te et non praeualebunt, quia, tecum ego sum, ait dominus, ut liberem te. Describit sermo diuinus, cur propheta timere non debeat.

ego, inquit, posui siue dedi t e hodie — hoc est in praesenti uita, donec uocatur hodie — quasi ciuitatem firmissimam, non ut unam domum nec turrem aut aliqua moenia, sed omnem ciuitatem, quae sita super montem latere non potest, de qua sciptum est: gloriosa dicta sunt de te, ciuitas dei, et: ego ciuitas firma, ciuitas quae oppugnatur.

et in columnam, inquit, ferream, de qua scribit apostolus: columna et firmamentum ueritatis. unde Petrus et Iohannes, qui putabantur columnae ecclesiae, dextras dederunt. Paulo et Barnabae communionis. nec hoc sufficit, sed in murum, ait, aeneum, qui nulla uiolatur robigine nec caesus imbribus deperit, sed uetustate fit fortior.

eris autem talis contra reges et principes et populum, non cuiuslibet loci, sed terrae, qui terrena sapiunt et caelestia non nouerunt, qui habent imaginem choici et non caelestis, hi, inquit, bellabunt aduersum te et non praeualebunt. cur, quaeso? quae est tanta fortitudinis causa, ut nec reges nec principes nec sacerdotes nec populi aduersum unum praeualeant? sequitur: quia tecum ego sum, ait dominus, ut liberem te.

si quando reges Iuda, qui interpretatur \'confessio\', et principes eius et sacerdotes et populi, episcopi uidelicet et presbyteri et diaconi, et uulgus uile atque ignobile contra sanctum uirum consurgere uoluerint, habeat fidei firmitatem et timere desistat, quia domino auxiliante superabit.

Et factum est uerbum domini ad me dicens: uade et clama in auribus Hierusalem dicens. Hoc in LXX non habetur, sed sub asteriscis de Theodotionis editione additum est, qui uerbum Hebraicum \'carath\', pro quo nos diximus \'clama\' siue \'praedica\', interpretatus est \'lege\'. et lectionem enim et clamorem et praedicationem pro sui ambiguitate significat. aures autem Hierusalem pro auribus habitatorum eius debemus accipere.

Haec dicit dominus: recordatus sum tui miserans adulescentiam tuam et caritatem desponsionis tuae, quando secuta me es in deserto, in terra, quae non seminatur. LXX: haec dicit dominus: recordatus sum misericordiae adulescentiae tuae et dilectionis . perfectionis tuae. Plenius hoc in Hiezechiele dicitur, quando sibi

Hierusalem in matrimonio dominus copulat et sub persona uxoris suis iungit amplexibus siue, ut ardentiorem monstret affectum, puellam eam et adulescentulam et desponsatam uocat; quo enim necdum potiti sumus, magis, ut potiamur, adpetimus.

\'quando\', inquit, \'secuta me es in solitudine et instar sponsaliorum et dotis legis tibi ornamenta et uerborum distribui monilia). totumque hoc non ad meritum eius refert, sed ad suam misericordiam, per quam et caritas consecuta est. hoc quoque, quod posuimus: in deserto, in terra, quae non seminatur. in LXX non habetur.

Sanctus Israhel domino, primitiae frugum eius; omnes, qui deuorant eum, delinquent; mala uenient super eos, dicit dominus. Quando Israhel dicit primitias frugum domini, ostendit populum de gentibus congregatum esse post primitias iuxta illud, quod in alio loco scriptum est: memor esto congregationis tuae, quam possedisti ab initio. primitiae autem debentur sacerdotibus et non hostibus. quod sequitur: omnes, qui deuorant eum, delinquent; mala uenient super eos, dicit dominus, hunc habet sensum: quomodo, qui primitias deuorant nequaquam de genere sacerdotalis. sceleris rei sunt, sic, qui contaminant Israhel, malis subicientur iuxta illud, quod in uicesimo sexto psalmo sanctus loquitur: dum adpropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas, qui tribulant me, et inimici mei ipsi infirmati sunt et ceciderunt. neque enim ex eo, quod dei exsequuntur sententiam, inmunes erunt a supplicio, malaque uenient super eos; oportet enim uenire scandala. uerum uae ei. per quem ueniunt scandala!

Audite uerbum domini, domus Iacob et omnes cognationes domus Israhel. haec dicit dominus: quid inuenerunt patres uestri in me iniquitatis, quia elongauerunt a me et ambulauerunt post uanitatem et uani facti sunt? Hunc sensum et alius propheta testatur: populus meus, quid feci tibi et quid molestus fui tibi? responde mihi; quia eduxi te de terra Aegypti et de domo seruientium liberaui te.

utrumque autem nomen — et Israhel — ponitur, non secundum duas et decem tribus, sed iuxta omnem populum, cum et ipse Iacob postea appellatus sit Israhel. offensam autem ducit a patribus. non quo peccata patrum filiis inputentur, sed quo et filii habentes patrum similitudinem et suo et parentum scelere puniantur. saepe legimus, quod propter sanctos patres filiorum misereatur deus.

dereliquerunt autem patres populi peccatoris deum — et non breuiter, sed longo tempore — et pro deo secuti sunt uanitatem, idola uidelicet, quae nihil prosunt cultoribus suis, et ipsis similes facti sunt secundum illud, quod scriptum est: similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.

Et non dixerunt: ubi est dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti, qui transduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inuiam. per terram sitis et imaginem mortis, per terram, in qua non ambulauit uir neque habitauit homo?

Pro \'homine\' LXX filium hominis\' interpretati sunt et pro \'imagine mortis\' de Theodotione additum est \'umbra mortis\'.

quod cum iuxta historiam manifestum sit, illud considerandum secundum ἀναγωγήν, quod, quamdiu in isto saeculo sumus et de Aegypto educimur, paulatim ascendimus et primum deserta transimus et terram inhabitabilem, quam sanctus inhabitare non debet, et inuiam, ut difficultatem monstret itineris; per terram sitis, ubi semper maiora cupimus nec praesentibus contenti sumus, et imaginem siue umbram mortis — semper enim in periculo consistimus et ubique diabolus tendit laqueos suos —, per terram. in qua non ambulauit uir, qui perfectae in Christo aetatis est — omnes enim resurgemus in uirum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi —; neque umquam in ea habitat, qui homo dei est siue filius hominis, sed semper ad maiora festinat.

ex quo perspicuum est non esse in uia perfectionem, sed in fine uiae et in mansione, quae sanctis in caelestibus praeparatur et quibus dicitur: qui statis in domo domini, in atriis domus dei nostri. frustra igitur noua ex ueteri heresis suspicatur hic perfectam esse uictoriam, ubi pugna est atque certamen et incertus exitus futurorum.

Et induxi nos in terram Carmeli, ut comederetis fructum eius et bona illius. et ingressi contaminastis terram meam et hereditatem meam posuistis in abominationem. <Pro labore durissimi itineris dedi uobis omnium rerum abundantiam); hoc quippe significat \'Carmelus\', qui Hebraice appellatur \'Chermel\' et in lingua nostra sonat \'cognitionem cognitionem\'.

quomodo autem ille populus terram sanctam et omnium rerum fertilem idololatria polluit atque uiolauit, sic nos uerae circumcisionis accipientes scientiam comedimus fructum eius et, si neglegentia subrepserit, contaminamus terram dei et hereditatem illius abominabilem facimus.

Sacerdotes non dixerunt: ubi est dominus et tenentes legem nescierunt me, et pastores praeuaricati sunt in me. et prophetae prophetauerunt in Bahal et idola secuti sunt Post tanta beneficia uerterunt in contemtum priuilegia dignitatis, ut sacerdotes dominum non quaererent, ut doctores legis ignorarent eum, qui alios docere debebant, et pastores per neglegentiam praeuaricatores fierent et prophetae, qui in populis disputant, non deo loquantur, sed idolo. et sua figmenta uenerentur. his autem uerbis utendum est aduersum nostri ordinis magistros, qui deuorant populum dei uelut cibum panis et per mala opera non inuocant dominum.

Propterea adhuc indicio contendam uobiscum, ait dominus, et cum filiis uestris disceptabo. Ne uideatur percutere per potentiam, quasi cum paribus ratione contendit iuxta illud, quod Dauid canit et usurpat apostolus: ut iustificeris in sermonibus tuis et uincas, cum iudicaris. quodque posuit \'adhuc\', saepe se fecisse testatur, et quod intulit \'cum filiis uestris\', similem ostendit etiam in filiis malo-

rum pertinaciam. occulte autem significat, quod antiquam in deum negationem etiam filii eorum in aduentu domini sint secuti

Transite ad insulas chettim et uidete et in Cedar mittite et considerate uehementer et uidete, si factam est huiuscemodi: si mutauit gens deos - siue deos suos —: et certe ipsi non sunt di. populus uero meus mutauit gloriam suam in idolum siue, de qua ei nihil proderit. Conparationem facit eius rei, quae inconparabilis est. et uerum deum confert mendacibus.

\'ite\', inquit, <ad insulas Chettim), quas uel Italiae uel occidentalium partium debemus accipere ab eo, quod terrae Iudaeae Cyprus insula, in qua urbs hoc uocabulo nuncupatur, uicina sit, de qua et Zeno, princeps Stoicorum, fuit; Cedar autem regio est solitudinis et Ismahelitarum, quos nunc Saracenos uocant, contra quam huius ipsius prophetae in extremis partibus texitur uaticinium et cuius meminit Dauid dicens: habitaui cum habitantibus Cedar; multum peregrinata est anima mea.

et est sensus: \'uel ad occidentem pergite uel in solitudinem mittite et uidete, si qua gens hoc fecerit, quod uos fecistis. nulla enim earum spreuit deos suos nec ligneos et lapideos aureorum conparatione mutauit, sed antiquum errorem secuta tenuit, quod a maioribus acceperat; et certe hoc. cum nullus eorum deus sit, sed simulacra hominum ficta manu. populus uero meus mutauit mendacio ueritatem et idolum mihi praetulit, quod eis necessitatis tempore prode esse non poterit\'.

possumus hoc dicere et contra eos, qui maiore studio sequuntur uitia quam uirtutes, quos monet apostolus dicens: humanum loquor propter infirmitatem carnis uestrae. sicut exhibuistis membra uestra seruientia inmunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruientia iustitiae in sanctificationem.

Obstupescite, caeli, super hoc, portae eius, desolamini uehementer, dicit dominus; duo enim mala fecit populus meus me dereliquerunt. fontem aquae uiuae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae con- tinere non ualent aquas. LXX: obstupuit caelum super hoc et inhorruit extra modum et uehementer, cetera similiter. Caelum, cui dictum est: attende, caelum, et loquar et: audi, caelum, et auribus percipe terra, uidens dei praecepta calcata inhorrescit et stuporem dissimulare non potest. omnis enim creatura congemescit et condolet super peccatis hominum.

duo autem populus dei fecit aduersa: primum, ut relinquerent deum, qui est fons uitae et praeceptum dedit dicens: ego dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti; secundum, quod in eodem loco scriptum est: non sint tibi di in conspectu meo; pro quo secutus est daemonas, quos dissipatas cisternas uocat eo, quod dei mandata seruare non ualeant.

et hoc attendendum, quod fons perpetuus est et uitales habet aquas, cisternae autem et lacus uel de torrentibus uel ex aquis turbidis terrae conplentur et pluuiis. portas autem caelorum illas uocat, de quibus et in uicesimo tertio psalmo

scriptum est: leuate, portae, capita uestra, et introibit rex gloriae; pro quo LXX transtulerunt: leuate portas, principes, uestras, de quibus plenius suo dicetur loco.

quodque Aquila et Symmachus \'caelos\', LXX uero et Theodotio \'caelum\' interpretati sunt, nullum moneat. Hebraicum enim \'samaim\' communis est numeri. et tam caeli\' quam \'caelum\' eodem appellantur nomine, ut Thebae, Athenae, Salonae.

Numquid seruus est Israhel aut uernaculus? Puto ex hoc loco in superbiam elatos saluatori dixisse Iudaeos: semen Abraham sumus et nemini umquam seruiuimus; quomodo tu dicis: liberi eritis nescientes, quod omnis, qui facit peccatum, seruus peccati sit et seruiat unusquisque illi, a quo uincitur. nati ergo de amico dei Abraham uitio suo facti sunt quasi filii Cham, cui dictum est: maledictus Chanaam, seruus erit fratribus suis.

Quare ergo est factus in praedam? super eum rugierunt leones et dederunt uocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem, et ciuitates illius exustae sunt, et non est, qui habitet in eis. Interrogat sermo diuinus, ut ipse respondeat.

leones autem uocat pnncipes Babylonis. qui terram eius posuerunt in solitudinem et ciuitates illius incendio deleuerunt. uel certe iuxta ἀναγωγὴν leones intellegamus aduersarias potestates aut hereticorum principes, qui terram ecclesiae desolantes omnes illius urbes heretico incendio uastauerunt et illo igne, de quo scriptum est: omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum.

illi enim uere dant uocem suam et in hoc eodem propheta sub perdicis persona clamant et congregant, quae non pepererunt. faciuntque diuitias non cum iudicio. propterea autem urbes illius uastatae et deletae sunt, quia non habent habitatorem deum dicente scriptura: et non est, qui inhabitet in eis.

Filii quaque Mempheos et Taphnas constuprauerunt te usque ad uerticem. numquid non istud factum est tibi. quia dereliquisti dominum deum tuum eo tempore, quo ducebat te per uiam? Hoc, quod nos diximus: eo tempore. quo ducebat te per uiam, in LXX non habetur. duas autem urbes maximas Aegypti, Memphin et Taphnas, nominat earumque dicit filios constuprasse Israhel usque ad uerticem illo sensu, quo Isaias posuit: a planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas. tanta autem fuit libido Aegyptiorum, qui sunt magnis 9 carnibus, ut nulli parcerent membro. sed omnia constuprarent. iuxta litteram refer ad idola Aegyptiorum, iuxta intellegentiam spiritalem ad magistros peruersi dogmatis, qui ecclesiae puritatem sua polluunt turpitudine. haec autem idcirco euenient ei, quia dereliquit dominum deum suum, et illo maxime tempore, quo ipsum ductorem sequi debuit.

Et nunc quid tibi uis in uin Aegypti, ut bibas aquam Sior? et quid tibi et uiae Assyriorum. ut bibas aquam fluminis? Pro \'Sior\' nos \'turbidam\' interpretati sumus, quod uerbum Hebraicum significat, pro quo communis editio habet \'Geon\'.

quia ergo supra filios Mempbis et Taphnas posuerat, qui constuprauerunt Israhel usque ad uerticem, nunc manifestius ipsam Aegyptum nominat. nullique dubium, quin Nilus aquas turbidas habeat et quod fluuium Assyriorum Eufraten significet dicente scriptura, quod repromissionis terra sit a torrente Aegypti usque ad flumen magnum Eufraten.

qui autem Christum reliquerint, fontem uitae, et hereticorum sibi foderint lacus, qui aquas doctrinarum continere non possunt, necesse est, ut leonibus subiaceant, qui redigant terram eorum in solitudinem et uniuersas ecclesias destruant, et usque ad uerticem polluantur et bibant aquas turbidas et fluenta Assyrii fluminis et aquilonis, unde exardescunt mala super terram.

Arguet te malitia tua — siue erudiet te praeuaricatio tua — et auersio tua increpabit te. scito et uide, quia malum et amarum est reliquisse te dominum deum tuum et non esse timorem mei apud te, dicit dominus deus exercituum. Notandum, quod et malitia siue praeuaricatio, postquam satiauerit praeuaricantem et instar coturnicum usque ad nausiam uenerit, erudiat agentem paenitentiam: cui imperatur, ut uideat, quid reliquerit, quid secutus sit et quomodo spernens bona et dulcia mala et amara elegerit.

hoc autem totum factum est, quia reliquit dominum deum suum et timor illius non est apud eum. principium enim sapientiae timor domini, quem quia non habuit, malo et amaritudini traditur.

A saeculo confregisti ingum meum — siue tuum —, rupisti uincula mea — siue tua — et dixisti: non sentiam. in omni enim colle sublimi et sub omni ligno frondoso tu prosterneba ris meretrix siue ibi diffundebaris in fornicatione. Quasi ad meretricem loquitur Israhel, quod coniugalia foedera ruperit et dixerit: non sentiam — subauditur \'domino\' uel \'marito\' —, sed in omni colle sublimi et sub omni ligno frondoso prostrata fuerit idololatriae; amoena enim semper et excelsa loca idolis dedicantur.

potest hoc et ad eum dici, qui ab initio Christianus et sacris ex parte litteris eruditus postea desiderio saecularis litteraturae, quae significatur in collibus, et in amoena eloquentiae, quae in frondosis monstratur arboribus, prosternat se daemonibus, qui sub occasione eruditionis et sublimis scientiae polluunt credentium animas et diuaricare faciunt pedes suos omni transeunti.

Ego autem plantaui te uineam electam, omne semen iterum; quomodo conuersa es mihi in prauum ninea aliena? LXX: Ego autem plantaui te uineam frugiferam, omnem ueram; quomodo conuersa es in amaritudinem uitis aliena? Pro uinea \'electa\'

siue \'frugifera\' in Hebraeo \'sorec\' habet, quae in Isaiae cantico ponitur. est autem genus uitis optimae, quo surculo et Israhel dominus plantasse se dicit et miratur, quomodo semen uerum electaque uinea conuersa sit in amaritudinem et ideo facta sit uinea aliena.

nullusque securus sit, si et plantatio domini et semen uerum et uinea sorec in tantum suo uitio commutatur, ut per amaritudinem recedat a domino et fiat uitis aliena. et in hoc consideranda clementia creatoris, quod, qui in euangelio dixit: ego sum uitis uera, discipulis quoque suis dederit et credenti in se populo, ut uitis electa uel uera sit, si noluerit in eo, quod plantata est. permanere.

Si laueris te nitro et multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es iniquitate tua coram me, dicit dominus deus. Pro \'herba borith\', quam nos, ut in Hebraico posita est, uertimus, LXX transtulerunt πόαν, ut significarent herbam fullonum, quae iuxta ritum prouinciae Palestinae in uirentibus et umectis nascitur locis et ad lauandas sordes eandem uim habet, quam et nitrum; \'nitrum\' autem nostrum et \'herba fullonis paenitentia est. ecclesiasticus quoque sermo, qui arguit et increpat et corripit delinquentem, mordacioris nitri habet similitudinem.

qui uero leui peccatorum sorde maculatus est, leuioribus purgatur monitis. porro peccata grauia, quae ad mortem trahunt, nec nitro nec herba borith dilui possunt, sed grauioribus tormentis indigent. uniuscuiusque enim opus, quale sit. ignis probabit et in igne reuelabitur. pulchreque addidit: maculata es iniquitate tua in conspectu meo, quod, etiamsi hominibus munda uidearis. mihi munda non sis, qui noui conscientias singulorum. unde et in alio loco dicitur: non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Quomodo dicis: non sum polluta, post Bahalim non abii? uide uias tuas in conualle siue nolle, quae Hebraice dicitur \'ge\' et a LXX interpretatur πολυάνδριον, quod sermone nostro dici potest \'sepulchrum multitudinis\'. \'Frustra\', inquit, <non uis confiteri scelera tua et iactas munditiam, quae idololatriae polluta es sordibus, et impudenter negas te coluisse idolum Bahalim. respice conualle filiorum Ennom, quod Siloae fontibus inrigatur, et ibi cernes delubrum Bahal, quem relicto deo uenerata es.

quodque additur: scito, quid feceris, clausos oculos aperit denegantis, ut cernat, quod erubescit aspicere. iuxta tropologiam inpudentiam frontis eorum, qui nolunt sua uitia confiteri, operibus arguamus. huiuscemodi enim homines non ambulant in arta et in angusta uia, quae ducit ad uitam, sed in lata et spatiosa, per quam ingrediuntur plurimi, quae ducit ad mortem. unde et significanter πολυάδριον nominata est siue iuxta historiam, quod ibi interfecta et perdita sit idololatriae malo populi multitudo.

Cursor leuis explicans uias suas, onager adsuetus solit udine, in desiderio animae suae adtraxit uentum amoris sui; nullus aueriet eam. omnes, qui quaerunt eam,

non deficient; in menstruis eius inuenient eam. LXX: ad uesperam nox eius ululauit, uias suas dilatauit super aquas solitudinis, in desiderio animae suae spiritu portabatur, tradita est. quis conuertet eam? omnes, qui quaerunt illam, non laborabunt; in humilitate illius repperient eam. Multum in hoc loco Septuaginta editio ab Hebraica ueritate discordat; tamen utraque habet sensum suum.

quia supra dixit: non sum polluta, et quasi ad mulierem, quae turpiter se gesserat, loquebatur. describit fornicationem eius. \'quomodo\', inquit. \'caprea leuis\' — quam nos genere communi \'cursorem\' diximus significantiusque Aquila, Symmachus et Theodotio uertere ὀρομὰς ϰούφη — (explicat uias suas et uelox fertur ad pabula. et sicuti onager adsuetus in solitudine trahit in desiderio animae suae uentum uel spiritum amoris sui\' — uno enim apud Hebraeos nomine \'ruha\' et \'uentus\' appellatur et \'spiritus\' —, \'sic et Israhel siue Hierusalem toto impetu ad desiderium libidinis ferebatur et omni idolorum amore feruebat, nullusque est. qui eam suis possit monitis ab hoc impetu auertere, non quo inpossibilitas hoc fecerit prophetarum, sed malitia peruersa cupientis\'. quicumque eam.

ait, quaesierint, non magnopere laborabunt; in menstruis et in inmunditia eius inuenient eam, pro quo Aquila νεμηνίαν, hoc est \'Kalendas\', Symmachus \'mensem\', LXX et Theodotio \'humilitatem\' interpretati sunt. porro iuxta Septuaginta hic sensus est: meretrix Hierusalem iuxta illam mulierem, quae in Prouerbiis describitur, ad uesperam ululabat uoce sua et amatores ad libidinem prouocabat, aperiebat uias turpitudinis suae et diuaricabat pedes omni transeunti. erat autem locus amoenitatem habens aquarum fluentium, qui delectabilior fit, quando in circuitu solitudo est. ut nullus uideat fornicantem.

in desiderio, inquit, animae suae ἐπνευματοφορεῖτο siue peruerso spiritu ducebatur siue trahebat amoris refrigerium uel certe canebat turpitudinis suae carmina. tradita est, inquit, uitiis suis et libidini, nullus eam conuertere poterit. omnes, qui uoluerint eam inuenire, in turpitudinis humilitate repperient, ut numquam possit uoluptatis amore satiari.

Prohibe pedem tuum a nuditate et guttur tuum a siti. et dixisti: desperaui, nequaquam faciam; adamaui quippe alienos et post eos ambulabo. LXX: conuerte pedem tuum a uia aspera et guttur tuum a siti. quae dixit: uiriliter agam, quoniam dilexit alienos et post eos ambulauit. Pascha facturi calciamenta habere iubentur in pedibus.

et apostolus calciatos praedicat pedes eorum, qui euangelio praeparantur, ne, dum per saeculi huius solitudinem gradiuntur, uenenatis pateant animantibus, quae debent euangelico pede calcari et conteri. guttur prohibemus a siti, quando saluatoris praecepta suscipimus dicentis: qui sitit, ueniat ad me et bibat. quae desperatione meliorum negauit se facturam, quod dominus imperauit, causamque exposuit

dicens: adamaui alienos et illos sequar, inpudenti confessione putans se crimina deuitare.

porro iuxta Septuaginta uia peccatorum aspera est, quae a domino conuertitur in uiam planam. quicumque hereticos sequitur, horum uersuum notetur elogio, quod dixerit: desperaui - siue in malo proposito agam uiriliter — et in meo confortabor errore. necesse autem est, ut, qui alienam ecclesiastico doctrinam sequitur, alienos diligat et eorum sequatur uestigia, uel daemonas uel hereticorum principes, qui a deo alieni sunt.

Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israhel, ipsi et reges eorum, principes et sacerdotes et prophetae eorum. Quamuis sit inpudens et procax uultus furantium, tamen erubescit, cum in furto fuerit deprehensus. et Israhel ergo dicens ligno: pater meus est tu, et lapidi: tu me genuisti, ut eos uocaret parentes, quos ipse fabricatus est, confunditur, cum in sua idololatria fuerit deprehensus.

et ne putemus eum hoc de plebe dicere, reges ponit et principes et sacerdotes et prophetas eorum. utamur hoc testimonio, si quando principes nostri et hi, qui in ecclesia putantur duces, in peccatis turpibus fuerint deprehensi.

Uerterunt ad me tergum et non faciem. Qui proiciunt sermones dei retrorsum, ipsi uertunt contra eum tergum suum et non faciem. quando magister enim praecipit, oboedientis indicium est, si demisso contra audiat capite; sin autem uertat tergum. signum est contemnentis, ut in alio loco scriptum est: et uerterunt ad me scapulam recedentem. (in tantum.\' inquit deus, \'mea contemsere praecepta, ut ne audire quidem uoluerint, sed tumorem animi gestu corporis nidicarint\'.

Et in tempore adflictionis suae dicent: surge et libera nos. Qui per beneficia non senserunt, per tormenta sentiant deum.

Ubi sunt di tui, quos fecisti tibi? surgant et liberent te in tempore adflictionis tuae.. inpudens postulatio tempore necessitatis et angustiae ab eo quaerere auxilium, quem in pace contemserint. legendumque increpantis affectu: liberent te di tui, quos fecisti tibi, ut, cum deus creator sit hominum, homo fecerit deum, probet necessitas; quid possint, quos securus ante coluisti.\'

Secundum numerum ciuitatum tuarum erunt di tui, Iuda. Uel eosdem uel singulos atque diuersos singulae ciuitates colebant deos, ut nec in impietate uiderentur habere consensum, sed pugnans contra se superstitio diuersum sequeretur errorem. quodque sequitur: et iuxta numerum uiarum Hierusalem immolabant Bahal, a Septuaginta additum est.

Quid uultis mecum indicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit dominus. Prona est ad excusationem sui humana peruersitas, ut, quicquid merito sustinent, iniuste sustinere uideantur et propriam culpam referant ad iudicium dei. \'frus-

tra\', igitur ait, \'obtenditis querimonias et iniquum causamini iudicem, cum impietatis uestrae sit, quod patimini\' quodque sequitur: et omnes inique egistis in me. similiter et a Septuaginta additum est.

Sine causa percussi filios uestros; disciplinam non receperunt, pro quo posuere Septuaginta: non recepistis. Sensusque est in Hebraico: \'ipsi, qui percussi sunt, disciplinam recipere noluerunt,\' in LXX uero: \'ideo percussi filios uestros, ut illorum nece uos erudiremini. et ne forsitan diceretis: peccantes corripere noluisti, plagis discite filiorum uestrorum, quod austeriore uos cupierim curare medicamine.\'

Deuorauit gladius uester prophetas uestros. \'Non meos, sed uestros prophetas, nequaquam mens. sed uester gladius deuorauit, quem sustinuistis peccatis uestris). porro Septuaginta non habent \'uester\', sed simpliciter interpretati sunt: deuorauit gladius prophetas uestros, \'ut ostendatur uel hostilis gladius uel gladius mens, per quem uestra peccata confodi.\'

Quasi leo uastator generatio uestra. LXX: . quasi leo uastator. et non timuistis. \'Gladius\', inquit. qui deuorauit prophetas uestros\' — hau dubium, quin Bahal et idolorum ariolos significet —, \'instar leonis uniuersa uastauit, et tamen uestra generatio, quae paucorum interfectione debuerat emendari, omnis perseuerauit in scelere\'.

iuxta Septuaginta uero hic sensus est: \'sic gladius domini, qui aduersariorum gladium demonstrauit, deuorauit atque lacerauit pseudoprophetas uestros quasi leo, qui auidissimus repertam praedam lacerat, et tamen nec prophetarum uestrorum supplicio potuistis ad meliora conuerti.\'

Uidete uerbum domini: numquid solitudo factus Sum Israheli aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus: recessimus, non ueniemus ultra ad te? LXX: audite uerbum domini: haec dicit dominus: numquid solitudo factus sum Israheli aut terra plena sentium, quia dixit populus meus: non sentiemus nec- ueniemus ad te? Et Moses uidebat uocem dei, et Iohannes apostolus uerbum dei uidisse et adtrectasse se dicit.

miratur autem, quomodo populus Israhel deum habuerit quasi solitudinem, cum idola quasi celebritatem urbium sit secutus. terra serotina est, quae imbres non recipit doctrinarum nec euangelii disciplinam, plenaque sentium, quia exculta non fuerat. populus ergo quondam dei in eo sceleratior, quod recessit a domino et non uult ultra reuerti ad deum suum. grandis offensa nolle placare. quem offenderis.

Numquid obliuiscetur uirgo ornamenti sui, sponsa fasciae pectoralis suae? populus uero meus oblitus est mei diebus innumeris. Per haec discimus sponsum esse Christum uirginis ecclesiae, quae non habet maculam neque rugam. si autem ipse

est sponsus, ipsius uerba sunt, de quo loquitur et Iohannes Baptista: qui habet sponsam, sponsus est.

ornamentum ergo suum perdit, qui recedit a domino. et amittit intellegentiam doctrinarum, quae significatur in pectore. unde et Iohannes euangelista recumbit super pectus domini, et sacerdotibus inter cetera separatur pectusculum uictimarum. quanto autem maior est numerus temporum, quibus obliuiscimur deum, tanto maior poena >.h-peccati, quod nec longitudine saeculorum potuerit edomari.

Quid niteris bonam ostendere uiam tuam ad quaerendam dilectionem? quae insuper et malitias tuas docuisti uias tuas, et in alis — siue in manibus - tuis inuentus est sanguis animarum pauperum et innocentium. non in foueis inueni eos, sed in omnibus istis siue sub omni quercu.

Trustra\', inquit, lte cupis uerborum arte defendere et quasi bona ostendere opera tua, ut merearis dilectionem, quae insuper etiam alios docuisti uias tuas et exemplo fuisti omnibus malorum operum. et in alis quippe — siue in manibus — tuis inuentus est sanguis innocentium, quos idolis immolasti siue quorum animas perdidisti sacrificiorum similitudine).

\'pauperes\' de Hebraico posuimus, qui in LXX non habentur. \'hos autem,\' inquit, pauperes et innocentes non inueni in foueis interfectos\' — quod solet plerumque accidere latronum insidiis —,\'sedinomnibus, quae supra memoraui, siue sub quercu\' — quae Hebraice dicitur \'ella,\' quae quidem et \'ista\' significat, ut sit sensus: (in omnibus istis siue sub quercu atque terebintho\' —, \'sub cuius umbra et frondibus quasi in amoenis locis idololatriae sceleribus fruebaris\'.

Et dixisti: absque peccato et innocens ego sum, et propterea auertatur furor tuus a me. ecce ego indicio contendam tecum eo. quod dixeris: non peccaui. quam uilis es facta nimis — siue quoniam contemsisti nimis - iterans uias tuas! His utendum est aduersum eos, qui nolunt sua peccata cognoscere, sed in tempore adflictionis et angustiae dicunt se iniuste sustinere, quae sustinent, magisque prouocant iram dei, dum alterum maiusque peccatum sit non lugere, quod fecerint, sed uanas excusationes obtendere peccatorum.

iudicio, inquit, contendam tecum pro eo, quod dixeris: non peccaui, quasi maius quippiam sit hoc peccato aliud habere in conscientia, aliud sermone proferre. audiat noua ex ueteri heresis iram dei esse uel maximam nolle peccatum humiliter confiteri, sed impudentem iactare iustitiam.

Et ab Aegypto confunderis, sicut confusa es ab Assur: nam et ab ista egredieris, et manus tuae erunt super caput tuum. quoniam contriuit dominus confidentiam — siue spem — tuam, et nihil in ea habebis prosperum. Ut Aegyptiorum impetum declinarent, coufugiebant ad Assyrios, quorum cassum fuit praesidium; uictos enim

eos ab Aegyptiis legimus. rursum ut iram Assyrii fugerent, Aegyptiorum adiutorio nitebantur, quos ab Assyriis superatos narrat historia.

increpantur ergo, quod omissa spe in deum hominum nitantur auxilio, quod omne contritum est et ita subuersum. ut nihil in eo utilitatis ualeant repperire. unde ait: et ab ista egredieris, hoc est ab Aegypto, sicut egressa es ab Assyriis, et manus tuae erunt super caput tuum, lugebisque te frustra ab Aegyptiis exspectasse praesidium. recordemur historiae, quando ab Amnon, fratre sceleratissimo, corrupta et uiolata Thamar supra sparsum caput cinere manus posuerit et ita reuersa sit in domum suam.

Uulgo dicitur — pro quo LXX tantum dicitur transtulerunt —: si dimiserit uir uxorem suam et recedens ab eo duxerit uirum alterum, numquid reuer-. tetur adeam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa-siue terra illa —? et tu fornicata es cum amatoribus multis siue pastoribus. Uerbum enim uerbum\', quod quattuor litteris scribitur \'res, ain, ioth. mem), et \'amatores\' et \'pastores\' utrumque significat et, si legamus \'rehim\', \'amatores\' sonat, si \'rohim\', \'pastores\'.

Tamen reuertere ad me, dicit dominus siue et reuertebaris ad me, dicit dominus. In Hebraeo etiam post fornicationem suscipit paenitentem et hortatur, ut reuertatur ad se; in Septuaginta uero non prouocat ad paenitentiam, sed arguit inpudentiam meretricis, quod post adulterium reuerti audeat ad maritum.

quodque ait: et contaminata erit mulier illa, pro quo in Hebraico \'terram\' legimus, relinquit exemplum et manifestius de terra loquitur Israhel, quae adulterae mulieri conparatur. utamur hoc testimonio aduersum eos. qui fidem domini relinquentes et hereticorum erroribus praepediti post multas fornicationes et deceptionem animarum simulant se reuerti ad pristinam ueritatem. non ut deponant uenena pectoris, sed ut ceteris insinuent.

Leua oculos tuos in directum et uide, ubi non prostrata sis: in uiis sedebas exspectans eos quasi latro in solitudine siue quasi cornix deserta. Pro \'latrone\' et \'cornice\' in Hebraeo \'arabe\' scriptum est, quod potest et \'Arabus\' significare, quae gens latrociniis dedita usque hodie incursat terminos Palestinae et descendentibus de Hierusalem Hierichum obsidet uias, cuius rei et dominus in euangelio recordatur.

\'eleua igitur oculos tuos, o Hlerusalem, et huc illucque circumspice et uide, ubi non fornicatione prostrata sis. quomodo enim solent latrones ad uesperam et in desertis locis uiatoribus insidias tendere, sic tu iuxta fornicariam Prouerbiorum sedebas in uiis ad uesperam, ut concubitu tuo animas interficeres fornicantium: propter quod uniuersa.

telTa polluta est in fornicationibus tuis\'. significanterque iuxta ἀναγωγὴν bis, qui hereticos errores deserere se promittunt, praecipitur, ut leuent oculos in directum. nisi enim recta uidere coeperint, prauitatem pristinam damnare non possunt.

LL polluisti — siue interfecisti — terram fornicationibus tuis et in malis tuis. quamobrem prohibitae sunt stillae pluuiarum et serotinus imber non fuit siue et habuisti pastores multos in offensionem tui. Interfecta est terra siue polluta propter interfectionem eorum. qui idololatriae fornicatione perierunt: unde ablata est omnium rerum benedictio. ut paterentur siccitatem sermonis dei. siue habuit pastores, per quos offenderet deum, ut, qui magistri esse debuerant, ut alios ab errore pro biberent, auctores impietatis exstiterint.

Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. LXX: facies meretricis facta est tibi, sine rubore facta es ad omnes. Quia supra dixerat: non peccaui et magis peccauerat sua scelera denegando, idcirco nunc arguit quasi mulierem procacem et nimiae inpudentiae, ut non ad unum et alterum procaci uultu feratur, sed nullum erubescat. utamur hoc sermone aduersum hereticorum conciliabulum. qui in suis erroribus gloriantur.

Ergo saltim amodo uoca me: pater meus, dux uriginitatis meae es tu; numquid irasceris in perpetuum aut perseuerabis in finem? Erubescant heretici, qui nolunt ad meliora conuerti nec regredi ad patrem creatorem suum, et audiant: saltim amodo uoca me: pater meus, dux uirginitatis meae es tu.

ipse despondit animam uestram amplexibus suis et docet, quomodo orare debeat et agere paenitentiam. quanto autem ille clementior, qui salutis post fornicationem ostendit uiam, tanto miserior meretrix, quae .-non uult post uulnera recipere sanitatem.

Ecce locuta es et fecisti mala et potuisti. \'Pro uerbis paenitentiae uerbis superbiae blasphemasti et inplesti malam cogitationem tuam et ostendisti contra uirum fortitudinem tuam, ut possis facere, quod sermone tractasti..

Et dixit dominus ad me in diebus Iosiae regiss: numquid uidisti, quae fecerit auersatrix Israhel? abiit sibimet super omnem montem excelsum et subter omne lignum frondosum et fornicata est ibi. et dixi. cum fecisset haec omnia: ad me conuertere, et non est reuersa.

et uidit praeuaricatrix soror eius Inda, quia pro eo. quod moechata est auersatrix Israhel. dimisissem eam et dedissem ei libellum repudii; et non timuit praeuaricatrix Inda, soror eius. et abiit et fornicata est etiam ipsa et facilitate fornicationis suae contaminauit terram et moechata est cum lapide et ligno. et in omnibus his non est reuersa ad me praeuaricatrix soror eius Iuda in toto corde suo. sed in mendacio, ait dominus.

Aliorum tormenta aliorum remedia sunt, cumque punitur homicida, recipit quidem ipse, quod fecit, sed alii deterrentur a scelere. decem igitur tribubus, quae appellabantur Israhel, captis ab Assyriis Mediamque translatis duae tribus, Iuda et Beniamin, quae debuerant similia formidare et tota ad deum mente conuerti, uicerunt decem tribuum scelera et in tantum idola sunt secutae, ut in templo dei statuam Bahal ponerent, quae in Hiezechiele uocatur idolum ad zelum et aemulationem domini conlocatum.

loquitur autem sub figura duarum sororum, quia de una sunt Abraham et Isaac et Iacob stirpe generatae, et priorem auersatricem, sequentem praeuaricatricem uocat. illa enim deum penitus auersata est statim adoratis in Dan et Bethel uitulis aureis, ista autem, apud quam erat templum et ueri dei religio, imitatione germanae paulatim recessit a domino et idcirco praeuaricatrix dicitur. secundum ἀναγωγήν autem de 1 hereticis prophetia est, qui, falsi nominis scientiam dum se arbitrantur heretica subtilitate sectari, ascendunt montem superbiae et carnis huius uoluptatibus deliniti sub omni ligno frondoso et amoeno exponunt fornicationem suam. qui cum tradantur diabolo in interitum carnis, frequenter euenit, ut domus Iuda, id est confessionis et uerae fidei, nequaquam terreatur exemplo, sed multo maiora committat et facilitate fornicationis suae contaminet terram ecclesiae et moechetur cum lapide et cum ligno ea sequens dogmata, quae aduersaria deo sunt.

sin autem ecclesiasticus uir corrigere uoluerit errantem et putridas resecare carnes et ad paenitentiam retrahere eos, qui secuti fuerant falsitatem, ac nihilominus illi sub specie ecclesiasticae ueritatis antiquum sequantur errorem, dici potest de eis: in omnibus his non est reuersa ad me praeuaricatrix Iuda in toto corde suo, sed in mendacio. fit autem haec prophetia Iosiae temporibus, regis ..--iusti, sub quo et Hieremias exorsus est prophetare.

Et dixit dominus ad me: iustificauit animam suam auersatrix Israhel conparatione praenaricatricis Iuda. \'Iustior,\' inquit, est Israhel conparatione Iudae, quia illa statim in principio periit, haec illius cruciatibus potuit emendari\'. attendat noua ex ueteri heresis, quod Israhel conparatione peioris iustificata dicatur. nec mirum hoc de unius gentis sororibus, cum Sodoma quoque conlatione Hierusalem iustitiae nomen accipiat dicente domino per Hiezechiel: instificata est Sodoma ex te\', et publicanus Pharisaei conparatione fit iustus.

Uade et clama — siue lege — sermones istos contra aquilonem et dices: reuertere, auersatrix Israhel. dicit dominas, et non auertam — siue firmabo — faciem meam a nobis — siue super nos —, quia sanctus — siue misericors — ego sum, dicit dominus, et non irascar in perpetuum. uerumtamen scito iniquitatem tuam, quia in dominum deum praeuaricata es. — siue impie egisti — et dispersisti — siue effudisti — nias tuas alienis sub omni liquo frondoso et uocem meam non audisti, ait dominas.

Uerbum Hehraicum \'carath\' et \'uoca\' siue \'clama\' et \'lege\' intellegitur, unde Aquila et Symmachus \'clamita\'. LXX et Theodotio \'lege\' interpretati sunt. ad aquilonem autem et contra Babylonem atque Assyrios sermo dirigitur, ad decem et ad duas tribus, et earum reuersio praedicatur. \'et non auertam\', inquit, \'faciem meam a uobis siue non firmabo faciem meam contra uos, ut nequaquam uos austeritate iudicis, sed uultu misericordiae suscipiam.

sanctus enim et misericors sum. ut non recorder ultra iniquitatis uestrae nec meminerim, quod a domino recessistis et pro illo uos idola delectarint et fornicatae sitis sub omni ligno umbroso atque frondoso\'. quod quidem et ad hereticos uel in ecclesia neglegentes dici conuenit, qui cotidie per ecclesiasticos uiros ad paenitentiam prouocantur et quibus proprie aptari potest: et uocem meam non audistis.

\' omnis autem hereticus habitat in aquilone et calorem fidei perdidit nec audire potest illud apostoli: spiritu feruentes et, quia se uoluptatibus tradidit, recessit a domino et dispersit uias suas alienis dogmatibus et uoluptatem secutus est. nulla enim heresis nisi propter gulam uentremque construitur, ut seducat mulierculas oneratas peccatis semper discentes et numquam ad scientiam ueritatis peruenientes, de quibus uere dicitur: qui deuorant populum meum uelut escam panis, et quos Christus notat deuorantes domos uiduarum.

\'cumque,\' inquit, misertus tui fuero, ne iustum esse te putes, sed semper memento iniquitatis tuae et scito, quia in dominum fornicatus sis, et superbiae colla demitte, ut, qui offendisti per adrogantiam, places deum per humilitatem\'. illi autem, quod supra diximus: et non firmabo faciem meam super uos, illud propheticum conuenit: auerte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele.

conuertimini, filii reuertentes — sine uagi et recedentes —. dicit dominus, quia ego uir uester — sine dominabor uestri —, et adsumam nos, unum de ciuitate et duos de cognatione, et introducam uos in Sion et dabo uobis pastores iuxta cor meum, et pascent uos scientia et doctrina. cumque multiplicati fueritis et creueritis in terra in diebus illis, ait dominus, non dicent ultra: arca pacti — uel testamenti — domini, neque ascendet super corneque recordabuntur illius, nec nisitabitur nec fiet ultra.

Iudaei impletum hoc putant post reuersionem ex Babylone sub Cyro. rege Persarum, et Zorobabel, filio Salathiel. etiamsi non omnes reuersi sint; hoc significari: adsumam unum de ciuitate et duos s de cognatione. sed melius in aduentu Christi, quando reliquiae saluae factae sunt dicente et exponente apostolo: nisi dominus sabaoth nobis reliquisset semen, quasi Sodoma essemus et similes Gomorrae fuissemus. tunc introducti sunt in Sion. de qua scriptum est: gloriosa dicta sunt de te. ciuitas dei. et dati sunt pastores iuxta cor eius. apostoli et apostolici uiri, et pauerunt credentium multitudinem non in Iudaicis caerimoniis, sed in scientia Christi atque doctrina et in toto orbe praedicatione euangelii seminata.

nequaquam in area domini, quae custos fuit legis Mosaicae, habebunt fiduciam, sed ipsi erunt templum dei nec iuxta errantes X azareos abolitis sacrificiis inseruient. sed spiritalem cultum sectabuntur. alii uero hoc in fine temporum intellegunt, quando subintrante plenitudine gentium omnis Israhel saluus fiet.

In tempore illo uocabunt Hierusalem solium domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine domini in Hierusalem et non ambulabunt post prauitatem cordis xlii pessimi. Nequaquam dominus sedebit super aream testamenti et cherubim, cui prius ab illo populo dicebatur: qui sedes super cherubim, manifestare, sed omnes perfecta mente credentes erunt thronus dei.

uel certe melius totum de ecclesia intellegendum, quando congregantur omnes gentes in nomine domini in Hierusalem. in qua est uisio pacis, et nequaquam ambulant post prauitatem cordis sui pessimi, ut faciant, quae desiderant, nec suos sequuntur errores, sed dicunt cum propheta: adhaesit anima mea post te. suscepit me dextera tua.

In diebus illis ibit domus Iuda ad domum T 7 > Israhel, et uenient simul de terra aquilonis ad terram, quam dedi patribus uestris. Hoc proprie in Christi conpletur aduentu. quando de duodecim simul tribubus euangelio crediderunt relinquentes terram aquilonis durissimi frigoris et a diaboli imperio recedentes tunc receperant terram repromissionis, quam pollicitus fuerat patribus eorum, Abraham, Isaac et Iacob. edidi nuper paruam libellum de terra repromissionis.

Ego autem dixi : quomodo siue ponam te in filiis et tribuam tibi terram desiderabilem, hereditatem praeclaram exercituum gentium! dixi: patrem uocabis me et post rite ingredi mora. cessabis Pro \'hereditate praeclara exercituum gentium\', quam Septuaginta transtulerant: hereditatem nominatam dei omnipotentis gentium, Theodotion significantius transtulit: hereditatem inclytam fortitudinis robustissimi gentium Christum significans, qui ductor et dominus est uniuersarum gentium suo nomini passionique credentium.

ipse dixit ad Israhel: patrem uocabis me, et: qui credit in me, credit in patrem. ipse pollicitus est: \'ponam te in filiis, in numero scilicet filiorum meorum, qui mihi de gentium populo crediderunt et quibus dedi terram desiderabilem). quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem, ut filii dei fiant.

Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sie contemsit me domus Israhel, dicit dominus. Christi uox est iuxta populum Iudaeorum, cui dixerat: ponam te in filios et dabo tibi terram desiderabilem, et patrem uocabis me et post me ingredi non cessabis.

cquomodo/ inquit, \'mulier contemnit non uirum, sed amatorem, si semel commixta fuerit cernens illum suae libidini seruientem et in se mutatam legem esse naturae, per quam uiro quondam subiecta fuerat dicente domino: et ad te conuersio eius,

sic domus Israhel, hoc est populus Iudaeorum, contemsit dominum saluatorem in perniciem suam.

Uox in uiis — siue in labiis — audita est. ploratus et ululatus filiorum Israhel, quoniam iniquam fecerunt uiam suam, obliti sunt domini dei sui. conuertimini. filii reuertentes, et sanabo auersiones — siue contritiones — uestras, pro quo Symmachus transtulit conuersiones. Libenter deus suscipit paenitentes et occurrit filio inopia et squalore confecto statimque induit pristinis uestibus et reddit gloriam reuertenti ita dumtaxat, ut reuertatur in ploratu et ululatu.

suo enim uitio fecit iniquam uiam suam et oblitus est domini dei et patris sui, ad quos prophetalis sermo nunc loquitur: conuertimini, filii reuertentes. \'quos idcirco filios uoco. quia intellectis peccatis uestris in ploratu atque ululatu reuertimini ad parentem. cumque uos ait, \'reuersi fueritis ad dominum. sanabit omnes contritiones uestras siue auersiones, quibus a domino recesseratis, uel certe conuersiones\'.

quamuis enim propria uoluntate ad dominum reuertamur, tamen. nisi ille nos traxerit et cupiditatem nostram suo roboranerit praesidio, salui esse non poterimus. intellegamus hoc et de Iudaeorum populo ad dominum reuertente et de hereticis, qui dominum reliquerunt.

Ecce nos uenimus ad te; tu enim es dominus deus noster. uere mendaces erant colles et multitudo — siue fortitudo — montium, uere in domino deo nostro salus Israhel. Dicat hoc paenitens et omnem superbiam derelinquens et multitudinem siue altitudinem montium et collium. per quam superbiebat contra deum, et humilitate prostratus loquatur: uere in domino deo nostro salus Israhel.

Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab ab adulescentia nostra, greges eorum et armenta eorum, filios et filias eorum. Omnes hereticorum labores, de quibus scriptum est: defecerunt scrutantes scrutinio. ab adulescentia eorum, quos deceperant, filios et filias eorum, qui in heresi profecerant uel tantum luxuria tenebantur, oppressit nostra confusio. unde inferunt:

Dormiemus in confusione nostra et operiet nos ignominia nostra, quoniam deo nostro peccauimus nos et patres nostri ab adulescentia nostra usque ad hanc diem, et non audiuimus uocem domini dei nostri. Hoc loquatur Israhel. qui suum dominum non audiuir. hoc omnis hereticus. qui agit paenitentiam; et tamen pars salutis est sua confiteri et nosse peccata. \'dic\' inquit, \'tu prius iniquitates tuas, ut iustificeris\'.

uere enim lsrahel dimisit Christum dominum deum suum et in eo peccauit non solum illo tempore, quando est nisus in carne. sed et ante aduentum illius.unde dicunt: \'nos et patres n ostri ab adulescentia nostrausquead hancdiemetnon au-

diuimus uocem dei nostri, qui nostris patribus loquebatur: si crederetis Mosi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit.

Si reuerteris, Israhel, ait dominus, ad me conuertere, pro quo Septuaginta transtulerunt: si conuer- sus lucri! Israhel, dicit dominus, ad me, conuertetur. Et est sensus: (si ad me fuerit reuersus, reuertetur de captiuitate\', siue aliter: (cum optulerit, quod habet\'. qui enim habet. dabitur ei; qui autem non habet. etiam id quod habere uidetur, auferetur ab eo.

porro iuxta Hebraicum hic sensus est: (si reuerteris ad me, Israhel. et semel salutem desideras et peccasse te dicis et uocem domini tui non audisse, plene conuertere; crede, quem negasti, et tunc erit plena conuersio\'.

Si abstuleris offendicula fila a facie mea, non commoueberis. Quando ergo mouemur et dicimus: mei autem paene moti sunt pedes, non imbecillitate naturae hoc patimur, sed quia ponimus offendicula et idola nostra contra dominum.

Et iurabis: uiuit dominus in ueritate et in indicio et in iustitia, et benedicent eum gentes ipsumque laudabunt. Et quomodo euangelium iurare nos prohibet? sed hic \'iurabis\' pro confessione dicitur et ad condemnationem idolorum, per quae iurabat Israhel. denique auferuntur offendicula et iurat per dominum.

quodque dicitur: uiuit dominus. in testamento ueteri iusiurandum est ad condemnationem mortuorum, per quos iurat omnis idololatria. simulque animaduertendum, quod iusiurandum hos habeat comites: ueritatem, iudicium atque iustitiam; si ista defuerint. nequaquam erit iuramentum, sed periurium. \'cumque,\' ait, \'et hoc fecerit Israhel et per apostolos magister fuerit gentium. tunc benedicent siue benedicentur in eo omnes gentes et ipsum laudabunt, quod salus processerit ex Israhel\'.

Haec enim dicit dominus uiro Iuda et Hierusalem: nouate uobis bis nonale et nolite serere su per spinas; circumcidimini domino et auferte praeputia cordium uestrorum, uiri Iuda et habitatores Hierusalem. ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur et non sit, qui extinguat propter malitiam cogitationum — siue adinuentionum — uestrarum.

Pro eo, quod nos diximus: circumcidimini domino et auferte praeputium cordium uestrorum, Symmachus posuit: purificamini domino et auferte malitias cordium uestrorum circumcisionem emundationem et praeputia uitium intellegens. hoc autem praecipitur uiris Iuda et Hierusalem, qui ueram sectantur fidem et habitant in ecclesia, ut non seminent super spinas, quas euangelicus sermo significat, quae suffocent sementem dei, sed prius nouale faciant et omnes suffodiant uepres sentesque auferant. ut munda semina munda arua suscipiant.

hoc est, quod in alio loco dicitur: ne miseritis margaritas uestras ante porcos et ne detis sanctum canibus. quomodo enim potest dei audire sermonem et concipere

semina et fructum facere, cuius animus aerumnis mundi plenus est? quodque sequitur: circumcidimini domino et auferte praeputia cordium uestrorum, nulli alii praecipitur nisi uiro Iuda et habitatori Hierusalem, ut deserant occidentem litteram et sequantur spiritum uiuificantem.

*si enim hoc\', inquit, \'non feceritis, egredietur ut ignis indignatio mea et succendetur et non erit, qui extinguat\'. ideo autem monet et ante praedicit, ne facere conpellatur, quod et in Nineuitis probamus, quibus praedicta sententia est, ut imminentem furorem paenitentia declinarent. omnia autem haec mala euenient propter malitiam cogitationum siue adinuentionum nostrarum. ubi sunt, qui in cogitationibus dicunt non esse peccatum, cum omnia uitia iuxta euangelicam ueritatem de corde procedant?

Adnuntiate in Iuda et in Hierusalem auditum facite; loquimini, canite tuba in terra, clamate fortiter, dicite : congregamini et ingrediamur ciuitates munitas. Hoc audiat ludas, hoc Hierusalem, in qua confessio fidei est et in qua Christi pax habitat et cui per Isaiam dictum est: in montem excelsum ascende, qui euangelizas Sion, eleua uocem tuam, qui euangelizas Hierusalem; clamet fortiter et ita praecipiat:

\'ingrediamur ciuitates munitas - hereticorum bella consurgunt: Christi munimenta nos teneant — ; leuate crucis signum in specula et sublimitate ecclesiae; confortamini, qui timetis, nolites stare, sed ad Christi auxilium currite; malum enim), inquit, cego adduco ab aquilone et contritionem magnam, uerum Nabuchodonosor, qui idcirco in mundo isto a me esse permittitur, ut uestra fortitudo et uictoria conprobetur\'.

Ascendit leo de cubili suo et praedo ge ntium se leuauit; egressus est loco suo, ut ponat terram tuam insolitudinem; ciuitates tuae uastabuntur remanentes absque habitatore. Iste est. ut diximus, uerus Nabuchodonosor, de quo et Petrus loquitur: aduersarius noster diabolus quasi leo rugiens circumit.

ascendit autem vel de abyssis, in quos reIIganduS est et, ne mittatur, exorat. et praedo siue uastator gentium se leuauit. de quo dictum est: omnium inimicorum suorum dominabitur, et qui gloriatur in conspectu domini: circumiui omnem terram et conculcaui eam. quis est enim, quem diaboli uenena non tangant nisi ille solus, qui potest dicere: ecce uenit princeps mundi istius et inuenit in me nihil?

iste crebro ponit omnem terram ecclesiae in solitudinem. ut egressi de ecclesia pugnent contra ecclesiam, de quibus loquitur et Iohannes euangelista: ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. ciuitates uastantur terrae Iudaeae et hereticorum florent conciliabula: si quis ergo fautor est auctorum peruersorum dogmatum, de hoc dici potest: ascendit leo de cubili suo et praedo gentium se leuauit, et reliqua.

Super hoc accingite nos ciliciis, plangite et ululate, quia non est auersa ira furoris. domini a nobis siue, ut LXX transtulerunt, a nobis. Aliter leonem et saeuissimam bestiam uitare non possumus. nisi agamus paenitentiam et ad dominum conuertamur non solum mente, sed et opere. quamdiu enim ille uastat ecclesiam et terram luda, Hierusalem quoque populatur, dei ira perspicua est.

Et erit in die illa, dicit dominus: peribit cor regis et cor principum et obstupescent sacerdotes et prophetae consternabuntur. Uastante praedone ecclesiam domini et ira contra nos domini permanente omne auxilium inutile erit. peribit cor regis. cuius debet esse cor in manu dei, et cor principum, qui putabantur esse sapientes; stultam enim fecit deus sapientiam mundi, quia per illam non cognouerunt deum.

ipsi quoque sacerdotes. qui legem domini docere deberent et subiectos sibi populos a leonis furore defendere. quodam stupore infatuati uertentur in amentiam — sic enim Septuaginta transtulerunt pro stupore\' \'excessum mentis\' exprimentes — et prophetae consternabuntur siue, ut Aquila transtulit uerbum Hebraicum \'iethmau\'. amentes erunt. quia enim non insaniat, non perdat cor, quando principes et reges et sacerdotes et prophetas quondam suos sub leone conspexerit?

Et dixi: heu, heu, heu, domine deus — pro quo LXX transtulerunt: o domine deus —, ergone decepisti populum istum et Hierusalem dicens: par erit uobis? et ecce peruenit gladius usque ad animam.

Quia supra dixerat: in tempore illo uocabunt Hierusalem solium dei et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine domini in Hierusalem, et nunc dicit: peribit cor regis et cor principum et obstupescent sacerdotes et prophetae consternabuntur, turbatur propheta et in se deum putat esse mentitum nec intellegit illud multa post tempora repromissum. hoc autem uicino futurum tempore, iuxta quod et apostolus loquitur: numquid reppulit deus populum suum?

absit. peruenit autem usque ad animam gladius, quando nihil uitale in anima reseruatur. simulque et hoc ostendit, quod nisi gladius praecesserit, qui desecet et purget animae uitia, pax et promissio non sequatur.

In tempore illo dicetur populo huic et Hierusalem: uentus urens — siue erroris — in uiis, quae sunt in deserto, uiae filiae populi mei non ad uentilandum et purgandum. spiritus plenus ex his ueniet mihi. Quando peruenerit gladius usque ad animam et fuerit area consummata, tunc uentus urens ueniet de deserto. qui non eam purget et uentilet, ut paleis huc illucque dispersis frumentum in horrea recondatur, sed spiritus plenus nequaquam populo, sed mihi ueniet, ut meum triticum dissipetur.

\'uentus\' et \'spiritus\' eodem apud Hebraeos appellantur nomine \'ruha\' et pro locorum qualitate uel \'uentum\' uel \'spiritum\' debemus accipere. alii hunc locum sic edisserunt, ut, postquam purgata fuerit area, reliquiae saluae fiant, unde et scriptum sit: spiritus plenitudinis ueniet mihi dicente euangelista: \'omnes ex

plenitudine eius accepimus et spiritus sancti gratiam soitiemur\'. uentum autem urentem iuxta historiam accipe Nabuchodonosor. qui uniuersa consumat, iuxta tropologiam aduersariam potestatem, quae ueniens de deserto et de solitudine. ubi nullum hospitium dei est, ecclesiam eius conetur euertere.

Et nunc ego — sed loquar indicia mea cum eis. \'Αποσιώπησις iuxta illud Uergilianum: quos ego — sed motos praestat conponere fluctus. dicturus itaque prospera retinet se et tristibus iungit tristia; haec enim sunt iudicia, quae cum populo quondam suo loquitur deus, ut sciant se iuste sustinere, quae sustinent.

Ecce quasi nubes ascendet et quasi tempestas currus eius; uelociores aquilis equi illius. uae nobis: quoniam uastati sumus! Uentura cernit praesentia et Babylonium describit exercitum, cuius curruum rotarumque strepitus tempestati saeuissimae conparatur et equorum uelocitas aquilis iungitur.

quod cum propheta dixisset et quasi uenientes hostes digito demonstrasset, populus ingemescit et nequaquam futura, sed facta iam sentit dicens: uae nobis. quoniam uastati sumus! hoc idem refer ad ecclesiam. quod cotidie ueri Nabuchodonosor nos inpugnet exercitus et currus Pharaonis omnisque eius equitatus aquilarum impetum superet. quod si intellegat uir ecclesiasticus credens illi sententiae: \'cum conuersus ingemueris. tunc saluus eris\', dicet: uae nobis, quoniam uastati sumus!

Laua a malitia cor tuum, Hierusalem, ut aslua fias; usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae? Dicenti populo: uae nobis, uastati sumus. respondet propheta, immo per prophetam deus: laua a malitia cor tuum. Hierusalem, illa aqua, de qua et Isaias loquitur: lauamini. mundi estote, aqua baptismi salutaris.

aqua paenitentiae. ad metropolim autem loquitur ludaeorum, ut per urbem intellegantur populi: \'usquequo iniquis cogitationibus subiaces, quae procedunt de corde tuo?\' cor autem in scripturis sanctis pro anima et sensu debemus accipere.

Uox enim adnuntiantis a Dan et notum facientis idolum — uel dolorem — de monte Ephraim . Iuxta situm terrae Iudaeae diuinus sermo nunc loquitur. Dan enim tribus iuxta montem Libanum et urbem. quae nunc dicitur Paneas, aquilonem respicit, unde uenturus est Nabuchodonosor.

idolum autem uel Bel uel dolorem uel iniquitatem de monte Ephraim uenire describit. post tribum quippe Dan succedit terra Ephraim, per quam uenitur Hierusalem. \'Dan\' interpretatur \'indicium\', \'Ephraim\' \'ubertas . ueniet igitur indicium domini in terram domino delinquentem cum omni ubertate supplicii.

Dicite gentibus: ecce auditum est in Hierusalem custodes uenire de terra longinqua; et dederunt super ciuitates Iuda uocem suam quasi custodes agrorum facti sunt super eam in circuitu. quia me ad iracundiam prouocauit. ait dominus. Uult

omnes in circuitu nationes dei nosse sententiam et flagellata Hierusalem cunctos recipere disciplinam.

\'celebri,\' inquit, in Hierusalem sermone narratur aduersarios uenire de terra longinqua et fremitum contra eam surgere ululantis exercitus: qui tam diligenter obsideant ciuitatem et claudant urbem munitionibus, ut non tam aduersarios putes esse quam agrorum uinearumque custodes. hoc autem totum factum est non hostium uiribus. sed culpa Hierusalem, quia deum ad iracundiam prouocauit\'. si enim in porcos non habent potestatem aduersariae fortitudines. quanto magis in homines et homines quondam ciuitatis dei!

Uiae tuae et cogitationes tuae fecerunt h haec tibi i; ista malitia tua, quia amara, tetigit cor tuum. Facit apostropham ad urbem Hierusalem, quod uiae illius et cogitationes, quibus et opere et sermone peccauit. fecerint ei uenire omnia, quae uenerunt, malitiamque illius, quae per se amara sit. tetigisse cor illius et animae interna penetrasse. quicquid ergo nobis accidit, nostro accidit uitio, qui dulcem deum in amaritudinem uertimus et cogimus saeuire nolentem.

Uentrem meum, uentrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt. non tacebo, quo- niam uocem bucinae audiuit anima mea, clamorem morem proelii. contritio super contritionem uocata est et uastata est omnis terra; repente uastata sunt tabernacula mea, subito pelles meae. Ubi nos iuxta Symmachum posuimus turbati sunt et in Hebraico scriptum est \'homae\', LXX et Theodotio posuerunt μαιμάσσει, quod uerbum usque in praesentiarum, quid significet, ignoro. Aquila autem posuit όχλάζει, quod et ipsum \'tumultum\' sonat.

hoc de uerbo dictum sit. super quo scio apud plerosque magnum esse certamen. uox autem prophetae et per prophetam dei loquentis inducitur, quod doleat super contritione populi sui et instar hominis uiscera eius interna lacerentur, quomodo et saluator super Lazari morte doluit et planxit Hierusalem, ne celaret dolorem silentio; omnisque clangor bucinae et fremitus proeliorum illius turbat affectum, dum mala cumulantur malis et uniuersa duarum tribuum terra uastatur. \'dum non putabam,\' inquit, (tabernacula quondam ei

pelles meae Babylonio furente populata sunt et in praedam hostium mea quondam cessere hospitia\'. loquitur autem hoc idem deus, quando seditionis turbas atque discordias cernit in ecclesia et in conuenticulis suis clamare perdicem et dei requiem in bella conuerti. unde sequitur:

usquequo uidebo fugientes, audiam uocem bucinae?Uel fugientes regem Babylonium uel fugientes me et a meo seruitio recedentes.

Quia stultus populus meus me non cognouit. filii insipientes sunt et uaecordes: sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt . Causa contritionis, uastitatis, fugae, bucinae, quia stultus factus est populus non natura, sed studio

uoluntatis. ipsaque stultitia hinc probatur, quod non cognouerint deum: et pro filiis sapientibus stulti filii facti sunt et uaecordes.

quae enim maior potest esse stultitia quam cognoscente boue possessorem suum et asino praesepe domini sui Israhel dominum num non cognoscere et praesentem contemnere, quem semper uidere cupiebat? quodque infertur: sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt, hic sapientia pro malitia accipienda est, iuxta quod et filii saeculi huius sapientiores sunt filiis lucis et uilicus iniquitatis quaedam sapienter fecisse narratur et serpens in paradiso prudentior cunctis bestiis legitur.

illa est ergo uera sapientia, quae dei timori iungitur; alioquin, ubi insidiae sunt et tergiuersatio, non sapientia, sed uersutia et calliditas appellanda est. pro eo, quod nos diximus: quia stultus populus meus me non cognouit, LXX transtulerunt: quia principes populi mei me non cognouerunt, ut magistrorum sit magis culpa quam populi dei scientiam non habentis.

Asperi terram. et ecce uacua erat et nihili, et caelos, et non erat lux in eis. uidi montes, et ecce mouebantur ebantur et omnes colles conturbati sunt. intuitus sum, et non erat homo et uolatile caeli recessit. asperi, et ecce Carmelus desertus et omnes ururbes eius destructae sunt a facie domini et a facie irae furoris eius. Propheta cernit in spiritu, quae uentura sunt. ut audiens populus terreatur et acta paenitentia nequaquam sustineat, quae formidat.

uacua terra est habitatore deleto, caeli non habent lumen terroris magnitudine populo non uidente. ipsi montes et colles intuta habent latibula et per ὑπερβολϒν moneri uidentur atque turbari. intuitus est et huc illucque circumspexit et ne auis quidem potuit inueniri; iram enim dei et muta sentiunt elementa et inrationalia pertimescunt animantia.

hoc uerum esse nunc totus orbis ostendit, ut caesa hominum multudine uo-\’ latilia quoque, quae solent habitatores sequi, abierint et perierint. ipse quoque Carmelus, qui mari imminet magno, oleis consitus et arbustis uineisque condensus ad tantam ueniet solitudinem, ut heremi habeat uastitatem; omnes quoque urbes desertae fient.

et uniuersorum malorum haec causa est, quod uitio populi delinquentis ira domini concitata sit. quidquid iuxta historiam de Hierusalem diximus et Iudaea, referamus ad ecclesiam dei, cum offenderit deum et uel uitiis fuerit uel persecutione uastata, ut, ubi quondam erat uirtutum chorus atque laetitia, ibi pecccatorum et maerorum multitudo uersetur.

Haec enim dicit dominus: deserta erit omnis terra. sed tamen consum mationem non fa- ciam : lugebit terra et maerebunt caeli desuper eo, quod locutus sim, cogi-

taui et non paenituit me nec auersus sum ab eo. Mixta irae misericordia dei omnis terra deseritur, sed non fit consummatio, ut sint, qui intellegant clementiam eius.

caelum quoque triste uidebitur desuper et ipsa terra lugebit eo, quod domini sententia ad finem usque peruenerit nec paenituerit eum super his, quae cogitauerit et locutus sit. paenitentia autem dei dicitur, quando aufertur praedicta sententia et ira saeuiens ad finem usque non peruenit. minatus est per Ionam et inpendentem gladium lacrimarum et gemituum multitudo superauit.

A uoce equitis et mittentis sagittam — siue intendentis arcum — fugit omnis ciuitas — siue regio —; ingressi sunt ardua et ascenderunt rupes — quodque sequitur: et ingressi sunt saltus siue speluncas a LXX additum est —, uniuersae urbes de relictae sunt et non habitat in eis homo.

Describit autem sermo diuinus Babylonii furentis exercitum, quod a tremore eius cunctus populus dereliquerit ciuitatem et ardua quaeque conscenderit et tamen iram domini non potuerit declinare. quidquid autem, ut supra diximus, in historia intellegitur contra Hierusalem, refer ad ecclesiam, cum offenderit deum et tradita fuerit aduersariis uel persecutionis tempore uel certe uitiis atque peccatis.

Tu autem uastata quid facies? Pro (uastata\'. quod Hebraice dicitur \'sadud\'. quod solus interpretatus est Aquila, alii transtulerunt \'miseram\' atque \'miserabilem\' culpa sui, quae clementem offenderit deum. denique sequitur:

Cum uestieris te coccino et ornata fueris monili aureo et pinxeris stibio oculos tuos, frustra conponeris: contemserunt te amatores tui, animam tuam quaerent. Sub figura mulieris adulterae loquitur: \'cum semel offenderis deum et quasi uirum tuum reliqueris creatorem, frustra ornamenta perquiris; contemserunt te daemones amatores tui et nequaquam stupri inmunditiam, sed animae tuae quaerent interitum\'.

hoc idem intellegendum Spiritaliter contra eos, qui coniugales allectus et uerae fidei pudicitiam perdiderunt. \'si te,\' inquit, \'uestieris coccino — sanguinis Christi adsumseris fidem —, si monili ornaueris aureo — meditationem habueris sensus et intellegentiae spiritalis — et pinxeris oculos tuos stibio — habueris studium mysteriorum et dei secreta noscendi —, frustra conponeris. haec enim etiam tuis amatoribus praepararas et idcirco lectus angustus utrumque capere non potest nec recipit ornamenta deus, quibus amatoribus tuis ante placuisti\'

Uocem enim quasi parturientis audiui, angustias — siue gemitus — ut puerperae; uox filiae Sion intermorientis expandentisque manus suas: uae mihi, quia defecit anima mea propter inter fectos! Ad similitudinem mulieris puerperae, id est quae primos parit fetus, describit urbem Hierusalem heiulantem atque clamantem.

quomodo enim mulier pariens et necdum dolorem parturitionis experta intermoritur — angustias sustinet, uix potest respirare sparsisque manibus conlabitur

—, sic et filia Sion, cum suos uiderit liberos interfectos, in haec uerba prorumpit et dicit: uae mihi, quia defecit anima mea propter interfectos! duo autem exempla in uno capitulo conparata sunt: parturientis filios et lugentis, ut, quidquid mulier patitur in fetu uel mortibus filiorum, Hierusalem patiatur in populis.

Circumite uias Hierusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis eius, an inueniatis uirum, qui faciat iudicium et quaerat fidem, et propitius ero eius. quodsi etiam: uiuit dominus, dixerint, et hoc falso iurabunt. Grandis amor iustitiae, ut nequaquam iuxta interrogationem Abrahae et responsionem dei pro decem uiris iustis deus liberet ciuitatem. sed si unum inuenerit iam iamque peritura Hierusalem, qui faciat iudicium et quaerat fidem — siue, ut Symmachus transtulit. ueritatem - tamen deus misereatur Hierusalem.

et quia poterat fieri, ut aliqui inuenirentur in populo, qui simularent cultum dei et iurarent per dominam, hoc praeuenit, quod nequaquam deus uanis sermonibus, sed ueritate fidei delectetur, et dicit: non eos diligo, quia iurant per me et iurant in mendacio. sed quorum corda labiaque consentiunt.

Domine. oculi tui respiciunt fidem. percussisti eos et non doluerunt; attriuisti illos et rennuerunt accipere disciplinam; indurauerunt facies suas super petram et noluerunt reuerti. Post uerba domini, quibus imperauerat dicens: circumite uias Hierusalem et cetera, propheta loquitur ad dominum: domine, oculi tui respiciunt fidem. quae Hebraice dicitur \'emuna\', non opera Iudaeorum, in quibus iuxta legis caerimonias exultabant, sed fidem Christianorum, per quam gratia salui facti sumus.

hoc autem capitulo discimus idcirco inferri supplicia, ut uitia corrigantur. denique ait: percussisti eos et non doluerunt; attriuisti eos et rennuerunt accipere disciplinam. per omnia enim tormenta atque flagella emendatur Hierusalem; et super haec uniuersa ne uerecundiam quidem suorum habuere uitiorum, sed instar petrae indurantes frontis impudentiam noluerunt ad meliora conuerti.

Ego autem dixi: forsitan pauperes sunt et stulti — siue non potuerunt — ignorantes uiam domini, indicium dei sui. ibo igitur ad optimates et loquar eis: ipsi enim cognouerunt uiam domini, indicium dei sui. Pauperes hic et optimates non inopia dicit et diuitiis, sed populum principibus conparat. et est sensus: \'cernens infidelis populi pertinaciam et, quod indurata facie noluerit recipere disciplinam, hoc mecum ratione tractabam: forsitan uulgus ignobile non potest dei nosse doctrinam et idcirco excusabile est, quia propter imperitiam dei non ualet scire mandata.

pergam igitur ad sacerdotes et ad eos. qui praesunt populo. et loquar eis; ipsi enim uoluntatem domini cognouerunt et sciunt iudicium dei sui\', hoc autem dicit sermone dubitantis iuxta illud euangelicum: mittam filium meum, forsitan ipsum reuerebuntur. ut ex ambiguitate sententiae et suspensione uerborum liberum hominis monstretur arbitrium.

Et ecce magis hi simul con fregerunt iugum, ruperit uincula. idcirco percussit eos leo de silua. lupus ad uesperam u uesperam eos, pardus uigilans super ciuitates eorum. omnis, qui egressus fuerit exeis, ca P capietur, quia multiplicatae sunt p ra euar icattones eorum, confortatae sunt auersiones eorum. \'Quos magistros putabam, inuenti sunt peiores esse discipulis, et quanto in diuitibus maior auctoritas. tanto maior insolentia peccatorum\'.

eonfregerunt enim iugum legis dicente apostolo: nunc ergo quid temptatis deum inponere iugum super cer uicem discipulorum. quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? sed per gratiam domini Iesu credimus saluari, quemadmodum et illi, ruperuntque uincula praeceptorum dei et non Pharisaeorum, de quibus in secundo psalmo dicitur: disrumpamus uincula eorum et proiciamus a nobis iugum ipsorum.

quia igitur ista fecerint, percussit eos leo de silua, regnum uidelicet Babylonium; lupus ad uesperam uastauit eos Medos Persasque significans, pro quo in uisione Danihelis \'ursa\' ponitur, cuius in ore tres erant ordines; pardus uigilans super ciuitates eorum Alexandri impetum praefigurans et uelocem de occidente usque ad Indiam percursionem. pardum autem uocat ob uarietatem et, quia plurimis sibi subditis gentibus contra Medos dimicauit et Persas. et quattuor, inquit, erant capita in bestia et potestas data est ei.

et quia non de futuro uaticinatur, sed de praeterito uel iam iamque uenturis texit historiam, idcirco autem de Romano tacet imperio, de quo forsitan dicitur: omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur. causasque reddit, cur ista perpessi sint: quia multiplicatae sunt praeuaricationes eorum et perseuera, uerunt in transgressionibus. unde dicitur: et confortatae sunt auersiones eorum.

illud, quod in principio posuimus uerbum Hebraicum \'sacad\' sonare \'uigiliam\', in praesenti loco ostenditur; ubi enim nos diximus \'pardus uigilans\', in Hebraico scriptum est \'nemer sacad\', iuxta tropologiam: qui magni putantur in ecclesia, quia confringunt iugum et rumpunt uincula, idcirco traduntur in ignominiam passionum, ut faciant, quae non conueniunt. -

Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me et iurant i n his, qui non sunt di. saturaui eos et moechati sunt et in domo m meretricis luxuriabantur. equi amatores in feminas et admissarii facti sunt mihi; unusquisque ad uxorem proximi sui h inniebat t. numquid super his non uisitabo? dicit dominus, et in gente tali non ulciscetur anima mea? Κατάλογος peccatorum Hierusalem, dum dicit se ignorare deus, qua possit eius occasione misereri.

\'filii\', inquit, \'tui dereliquerunt me: nequaquam mei, sed tui, quia iurant in his, qui non sunt di. saturaui eos et moechati sunt\'. audiant hoc, qui acceptis a domino diuitiis incubantes luxuriae seruiunt. equi amatores in femi nas facti sunt. pro \'admissariis\' in Hebraico scriptum est \'mosechim\', quod omnes uoce consona

ἕλκοντες transtulerunt, id est \'trahentes\', ut ostendatur magnitudo genitalium iuxta illud Hiezechielis: quasi asinorum carnes carnes eorum.

hoc est, quod in alio loco scriptum est: adsimulati sunt iumentis insipientibus et similes facti sunt eis. simulque tantam ostendit insaniam libidinis, ut non adpetitum uoluptatis, sed χρεμετισμόν, id est \'hinnitum\' uocet et seruet equorum furentium ad libidinem μεταφοράν. cum haec\', inquit, \'feceris, numquid non uisitatione condigna es?\' et nota, quod hic \'uisitatio\' pro poena ponatur atque suppliciis iuxta illud, quod scriptum est: uisitabo in uirga iniquitates eorum.

et in gente tali non ulciscetur anima mea? postquam peccatis obligata est, nequaquam uocatur populus dei, sed gens, a qua recessit anima dei secundum illud, quod scriptum est: numeuias uestras et sabbata et dies festos odit anima mea. quod autem in Ueteri Testamento dicitur pro affectu. in Nouo scriptum est pro ueritate saluatore dicente: potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo sumendi illam..

Ascendite muros eius — siue propugnacula — et dissipate, consummationem autem n nolite facere! auferte propagines eius — siue sustentacula -, quia non sunt domini! praeuaricatione enim praeuaricata est in me domus Israhel et domus Inda, ait dominus.

Imperat gentibus, de quibus supra dixerat: percussit eos leo de silua, lupus uastauit eos et pardus in ciuitatibus eorum, ut ascendant muros Hierusalem siue propugnacula et dissipent eam, consummationem autem non faciant, ut saluentur reliquiae et sit, qui adnuntiet in gentibus gloriam dei; seueritatique miscet clementiam.

quodque intulit: auferte propagines eius siue sustentacula, omnia tolli auxilia iubet, quae suo uitio perdidit eo, quod praeuaricata sit in deum domus Israhel et domus Iuda decem tribus et duas significans. audiat hoc ecclesia. quod cito muri et propugnacula dissipentur eorum, qui non habent spem in domino et praeuaricentur in eum, sed tamen non fiat consummatio propter clementiam iudicis et non propter merita delinquentium.

Negauerunt dominum et dixerunt : non est ipse — siue non sunt haec — nec superueniet super nos malum; gladium et famem non uidebimus. prophetae fuerunt in uentum et responsum — siue sermo — non fuit in eis. haec ergo euenient illis.

Quia negauerunt dominum — siue mentiti sunt domino — et dixerunt: \'non est ipse, cuius iudicio fient omnia, sed fortuito haec omnia acciderunt neque euenient, quae nobis prophetarum uoces minantur, nec uidebimus gladium nec famem sustinebimus obsidionis et, quidquid locuti sunt prophetae. in uentum locuti sunt et irrita omnia transierant nec habuerunt responsum, hoc est oraculum, siue sermo dei non fuit in eis\', ideo sustinebunt, quae sequens sermo describit. audiat hoc ec-

clesia neglegens et prouidentiam dei refutans. quod et gladium et famem sustineat, nisi uentura crediderit, quae dicuntur.

Haec dicit dominus deus exercituum : quia locuti estis uerbum istud, ecce ego do uerba mea in ore tuo in ignem et populum istum in ligna et deuorabit eos. Dixistis: prophetae fuerunt in uentum nec uentura sunt, quae minantur; propterea, o propheta. do uerba mea in ore tuo, quae ignis habeant potestatem et populum istum in ligna conuertant, ut sermone tuo et prophetia increduli concrementur.\' sic deus ignis consumens dicitur, ut consumat in nobis, si super fundamentum Christi aedificauerimus faenum, ligna, stipulam.

Ecce ego adducam super lon gentem de lon- ginquo. domus Israhel, ait dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelleges, quid loquatur. pharetra cius quasi sepulchrum patens; un uniuersi fortes. et comedet segetes tuas et panem tuum, deuorabit filios tuos et filias tuas, comedet gregem tuum et armenta tua, comedet uineam tuam et ficum tuam et conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes f fiduciam, gladio. uerumtamen in diebus illis, ait, non faciam uos in consumtionem.

\'Nequaquam multo post tempore nec. ut falso creditis, prophetae uobis loquentur in uentum, sed iam nunc adducam super uos gentem Babyloniorum, quae ueniet de longinquo, gentem robustam\' — pro quo in Hebraeo scriptum est \'ethan\' — ,\'gentem anti quam\' — cuius quondam dominatus est Nebrod gigans —, lcuius ignorabis linguam siue\' — ut in Hebraeo scriptum est - \'nec intelleges, quid loquatur; est enim malorum solacium, si illos hostes habeas, quos possis rogare et qui tuas intellegant preces\'.

quodque sequitur: pharetra eius quasi sepuiehrum patens et in LXX editione non dicitur, Babyloniam significat armaturam. nec dubium, quin regnum Assyriorum. Babyloniorum. Medorum atque Persarum sagittandi peritissimum sit. simulque describit uastitatem terrae Iudaeae fectionemque multorum, abactionem pecorum, subuersionem urbium atque murorum, quod gladio hostili cuncta capiantur et tamen in tantis malis non eos perdat usque ad internecionem, sed reliquias saluas faciat uel eorum, qui in Babylonem ducti sunt dimissique ad culturam agrorum terrae Iudaeae. uel eorum, qui post persecutionis ardorem uel fuga uel confessione fidem domini seruauerunt.

Quodsi dixeritis: quare fecit dominus dens noster nobis haec omnia? dices ad eos: sicut de re- liquistis me et seruistis deo alieno — uel dis alienis - in terra uestra, sic seruietis alienis in terra non uestro. Grandis stultitia nescire, cur passi sint, . cum tanta peccauerint, breuisque ad ambigentes responsio: sicutseruistis deo alieno - id est Bahal - uel dis alienis cunctarum gentium in terra Iudaea, sic seruietis dis alienis in terra non uestra, hau dubium quin Babyloniis atque Chaldaeae.

(si enim uos peregrina religio delectat, quid necesse est longinquum errorem suscipere? habitate cum talibus hereticis accipi, de quibus scriptum est: ex nobis exierunt, sed non fuerunt exuobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum, quod proiciat de ecclesia hereticos dominus, qui multo tempore sub nomine eius mendaciorum suorum simulacra uenerati sunt, ut foris colant, quod intus prius uenerabantur, et paleae separentur a tritico.

Liber Secundus

Secundum, frater Eusebi, in Hieremiam librum celeri sermone dictamus auertentes parumper aures, ne audiamus iudicium sanguinis et interfectorum animas deploremus, qui opinione uirtutum cotidie corruunt in superbiam et deo se similes arbitrantur, ut aequalitatem, quam impia Arrianorum heresis in filio negat, cunctis hominibus tribuant et ponant in caelum os suum et nihil futurae sanctorum beatitudini amplius derelinquant.

quorum furori respondimus, ut potuimus. et, si dominus uitam dederit, plenius responsuri sumus. nunc coepta carpenda est uia et dictandi commentarioli nec nimia longitudine extendentes opus nec inmoderata breuitate auferentes intellegentiam, quorum alterum onerat sensus legentium, alterum praecidit studiosorum desiderium.

Adnuntiate hoc domui Iacob et auditum facite in Iuda dicentes: audi, populе stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non uidetis et aures et non auditis! Multis modis peccantes retrahit ad salutem et stultum uocat populum, qui sapientiae reliquit auctorem, conparatque eos simulacris, de quibus scriptum est: oculos habent et non uident; aures habent et non audiunt. similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.

proprie autem ad Iudam loquitur et ad domum Iacob — Israhel enim multo iam tempore in Assyriis exsulabat — simulque dat intellegentiam. quod etiam absque praecepto naturali sensu debeamus intellegere, quae recta sunt.

Me ergo non timebitis, ait dominus, et a facie mea non dolebitis — siue timebitis —? qui posui harenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit. et commouebuntur et non poterunt — siue turbabitur et non poterit — et intumescent — siue sonabunt — fluctus eius et non transibunt illud.

populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans et recesserunt et abierunt et non dixerunt in corde suo: metuamus dominum deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam et serotinam in tempore suo, plenitudinem annuae messis custodientem nobis! Narrat beneficia, ut ingratos arguat.

\'me\', inquit, \'non timebitis, qui tanta uobis praestiti? non dilectionem desidero perfectorum, sed timorem incipientium, qui posui harenam terminum mari, qui tam potens elementum et immensos gurgitum moles meo praecepto litoribus refrenaui iuxta illud. quod scriptum est: praeceptum posuit et non praeteribit. audiunt me et sentiunt, quae sensum non habent audiendi; et populus quondam meus suo uitio stultus effectus non solum contemnit, sed et dulcem exasperat deum.

recesserunt\', ait, ca me et mihi terga uerterunt et concito abierunt gradu nec tacita eos retraxit conscientia, ut dicerent in cordibus suis: metuamus eum, qui dat nobis pluuiam temporaneam et serotinam! per quae omnia ostendi bona plenitudinem annuae messis\', pro quo Aquilae prima editio et Symmachus \'ebdomadas\' interpretati sunt; in Hebraeo enim scriptum est \'sabaoth\', quod pro ambiguitate uerbi et \'septimanas\' significat et \'plenitudinem\'.

Iniquitates nostrae declinauerunt haec et peccata nostra prohibuerant bonum a nobis. Ergo si quando et mare transcendit terminos suos et pluuia retrahitur, nequaquam adbreuiata est manus domini, ut ista non faciat, sed peccata nostra haec ad nos uenientia declinarunt, ut ad alios pergerent, qui non peccauerunt.

\'et prohibuerune, inquit. \'iam ueniens ad nos bonum iuxta illud. quod secundum litteram scriptum est: mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem\'. possumus autem imbrem temporaneum et serotinum legem accipere et euangelium et diuersas uocationes a prima hora usque ad undecimam, in quibus operariis uineae unum uitae aeternae praemium pollicetur.

Quia inuenti sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedi- cas ad capiendos uiros! sicut decipula plena auibus. sic domus eorum plenae dolo. Ut declinaret ab eis imber temporaneus et serotinus et bona omnia non uenirent. causae subiciuntur, quia inuenti sunt in populo eius impios\'.

non dixit \'iniquos\' et \'peccatores\', ut noua uult heresis, sed impios . impietas aperte negat deum; iniquitas atque peccatum, si confiteatur errorem, facile ad misericordiam flectit deum. quodque nos diximus: insidiantes quasi aucupes et in LXX non habetur, Aquila et Symmachus transtulerunt uerbum \'iasir\' quasi rete aucupis, quod etiam, qui bonus inter eos uidetur et rectus, instar aucupis tendat insidias, dum inuicem se uenantur ad mortem et aliorum damnis atque dispendiis suas conplent domos, ut impleatur philosophorum illa sententia: omnis diues aut iniquus aut heres iniqui.

atque utinam ab his tantum fiant, qui uidentur foris esse et quos dominus iudicat, et non in nostris conuenticulis impleantur, quos possidet radix omnium malorum auaritia, ita ut uenientium ad nos non ora contemplemur. sed manus!

Ideo magnificati sunt et ditati. incrassati sunt et inpinguatiet praeterierunt sermones meos pessime. causam non iudicauerunt, causam — siue indicium —

pupilli non direxerunt --et indicium pauperum — siue iudicium - non iudicauerunt. numquid super his non uisitabo? dicit dominus, aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea?

Si uoluero annotare per siugula, quae in Septuaginta editione praetermissa sunt, longum fiet. \'qui tendunt,\' ait, \'insidias et aliorum nuditate laetantur, ideo magnificati sunt et ditati.\' quia superiora fecerunt, incrassati sunt et inpinguati iuxta illud, quod scriptum est: incrassatus est et inpinguatus et recalcitrauit dilectus. et praeterierunt sermones meos. quia diuitiarum conscientia illud dixerunt de euangelio: anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare!

praeterierunt autem in malum sui cunctosque homines despicientes non posuerunt dei indicium ante oculos suos. pupillum et pauperes contemserunt. pro quo Septuaginta dixerunt \'uiduas\', quod in Hebraico non habetur; \'hebionim\' quippe proprie \'pauperes\', non \'uiduas\' sonat. quod autem sequitur: numquid super his non uisitabo? dicit dominus. aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea? iam sunra dissertum est.

Stupor et mirabilia facta sunt in terra: prophetae prophetabant mendacium - siue iniqua — et sacerdotes adplandebant manibus suis et populus meus dilexit talia! quid igitur facietis in nouissimo — siue post haec —? Supra dixerat: ibo ad optimates et loquar eis; forsitan ipsi cognouerunt uiam domini. et ecce magis hi pariter confregerunt iugum, ruperunt uincula; nunc describit, qui sint optimates, prophetae uidelicet et sacerdotes, quorum alii futura praedicunt, alii facienda ex lege decernunt.

\'et ecce: inquit, \'illis mendacium prophetantibus sacerdotes manibus adplauserunt.\' et ut ostendatur nec populus esse sine culpa, qui a talibus abducatur. scriptum est: et populus meus dilexit talia, quondam meus. sed postquam dilexit, meus esse desiuit. quid igitur facient, cum nouissimum indicii tempus aduenerit siue captiuitatis necessitas? unde stupor et mirabilia sunt, quod nec in principibus nec in populo inuentus sit, qui recta sentiret.

Confortamini, filii Beniamin, in medio Hierusalem et in Thema clangite bucina et super Bethaccarem Icuate signum — siue uexillum —. quia malum uisum est — siue apparuit — ab aquilone et contritio magna! Hierusalem in tribu Beniamin sitam nullus ignorat. Thecuam quoque uiculum esse in monte situm et duodecim milibus ab Hierosolymis separatum cotidie oculis cernimus. inter hos alius uicus est, qui lingua Syra et Hebraica Bethacarma nominatur, et ipse in monte positus. quod ergo dicit, hoc est:

\'quia ab aquilone iam iamque uenturus est Nabuchodonosor et imminet uicina captiuitas, o habitatores Hierusalem, arma corripite et in Thecue bucina concrepate et in Bethaccarem leuate uexillum\', ait, ut contra hostes ualeatis resistere!\'

Beniamin interpretatur \'filius dexterae\'. Thecua \'tuba\', Bethaccarem \'uilla uineae\'. haec omnia referamus ad ecclesiam, ut, si deliquerit et persecutionis impetus fuerit, se praeparet ad resistendum.

Speciosae et delicatae adsimulaui filiam Sion. ad eam uenient pastores et greges eorum, fixerunt — siue figent — in ea tentoria in circuitu: pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt. sanctificate — siue parate — super eam bellum, consurgite et ascendamus in meridie!

Describitur pulchritudo Hierusalem, quae est ipsa Sion, ut aliud totam urbem, aliud arcem urbis sonet. Sion enim \'arx\', id est specula, interpretatur et speciosae mulieri conparatur; et quomodo ad illam amatores, sic ad istam pastores conuenire dicuntur. satisque eleganter in Hebraeo uerbum, quod quattuor litteris scribitur \'res, ain, iod, mem\', si legatur \'reim\', \'amatores\', si \'roim\', \'pastores\' significat, ut uel iuxta μεταφορὰν pulchrae mulieris amatores uel iuxta euersionem urbis pastores intellegantur, quorum alii scortum polluere festinant.

alii obsidere et subuertere ciuitatem. in pastoribus et gregibus eorum principes sentiamus et exercitum Chaldaeorum. figent autem tentoria sua in circuitu in obsidione urbis et pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt, suas uidelicet turmas et numeros. qui principes siue pastores dicent gregibus suis: \'sanctificate super Hierusalem bellum; domini enim imperium est. consurgite et ascendamus in meridie, non per noctem et insidias. sed plena luce pugnemus; nullus enim nobis potest resistere\'.

Uae nobis, quia declinauit dies, quia longiores factae sunt — siue defecerunt — umbrae uesperae. surgite et ascendamus in nocte et dissipemus domos — siue fundamenta — eius! Illi dicunt: surgite et ascendamus in meridie et clara luce pugnemus\': isti respondent: uae nobis, quia longiores factae sunt umbrae uesperae, secundum illud Uergilianum: et iam summa procul uillarum culmina fumant maioresque cadunt altis de montibus umbrae. et est sensus:

(si per diem haec patimur, quid patiemur in noete ? \' rursumque, qui supra dixerant: sanctificate super eam bellum atque consurgite\'. nunc ipsi se prouoeant ad bellandum dicentes: \'surgite et ascendamus in nocte, ut sciant aduersarii non temporis uictoriam esse, sed uirium, et dissipemus domos, quae frustra murorum firmitate uallantur\'.

Quia haec dicit dominus exerieituum: caedite lignum — siue ligna — eius, effundite — siue conportate — circa Hierusalem aggerem! \'Idcirco\', inquiunt, de uictoria securi sumus, quia praeceptum domini est imperantis Chaldaeis: ligna succidite et futuris munitionibus aggerem conportate!\'per quae ostenditur, antequam ueniat, non statim urbem coronae esse capiendam, sed longa obsidione, ut postea legimus.

Haec est ciuitas uisitationis — siue mendex omnis calumnia — uel oppressio — in medio eius. sicut frigidam facit cisterna — uel lacus aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Praecipit dominus, ut arbores succidantur, ut fundantur per circuitum aggeres, quia tempus uisitationis eius aduenerit, ut recipiat pro peccatis suis, quorum maximum est συκοφαντία, ut innocentem opprimat per calumniam.

quomodo ergo cisterna uel lacus frigidam facit aquam suam, sic in medio Hierusalem malitia, quae in ea est, omnem calorem perdidit uitae. et hoc notandum, quod sancti spiritu feruentes appellentur, mala autem frigida sint: unde et illud scriptum est, quod in nouissimis diebus, quando multiplicata fuerit iniquitas, refrigescet caritas multorum. quod puto et illud sonare: adsimulatus sum descendentibus in lacum.

hoc autem Latinus lector intellegat, ut semel dixisse sufficiat, \'lacum\' non \'stagnum\' sonare iuxta Graecos, sed \'cisternam\', quae sermone Syro et Hebraico \'gubba\' appellatur. in praesenti autem loco pro \'lacu\', quem omnes similiter transtulerunt, in Hebraico \'bor\' dicitur.

Iniquitas et nastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas et plaga. erudire, Hierusalem. ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam terram inhabitabilem! LXX: impietas et miseria audietur in ea contra faciem eius. per omnem dolorem et flagellum erudieris. Hierusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne faciam te inuiam terram, quae non habitetur, Per haec discimus, quod flagellet dominus omnem filium, quem recipit; et idcirco plagis atque tormentis eruditur Hierusalem, ut corrigatur et non recedat anima dei ab ea et redigatur in solitudinem. si quando igitur crebris angustiis subiacemus, recordemur in consolationem nostri istius uersiculi: per omnem dolorem et flagellum erudieris. Hierusalem.

Haec dicit dominus exercituum: usque ad racemum colligent quasi in uinea reli quias Israhel; conuerte manum tuam quasi uindemiator ad cartallum! LXX: quia haec dicit dominus uirtutum : racemate, racemate quasi in uinea reliquias Israhel; reuertimini quasi uindemiator in cartallum suum!

Alii in bonam partem, alii in malam haec dicta suscipiunt. in bonam partem: \'cum uastata fuerit Hierusalem, reliquiae saluae fiant\'. in malam sic: \'ne unus quidem racemus et paruus botrus remaneat in uinea, omnia colligantur; et quodcumque iuueneris, instar uindemiatoris in cartallum conice, ut, quomodo ille racemos ad torcular, sic tu captiuos pertrahas in Babylonem\'.

Cui loquar et quem contestabor, ut audiat? ecce incircumcisae aures eorum — siue uestrae – et audire non possunt! ecce uerbum domini factum est eis in opprobrium et non suscipient illud! Non possunt audire, quia aures circumcidere noluerunt; nec tamen uacat inpossibilitas supplicio, quae de contemtu et infidelitate descendit.

si quis ergo dei uerba non suscipit nec habet praeceptorum eius intellegentiam, incircumcisis auribus est. simulque notandum, quod circumcisio in scripturis tribus generibus appellatur: in praeputio. in corde et in auribus; unde dicit et dominus: qui habet aures audiendi, audiat. uoluntate ergo nostra uerbum dei non suscipimus; et idcirco fit nobis in opprobrium, ut, quod datum fuerat ad salutem, nostro uitio uei-tatur in poenam.

Ideirco furore domini plenus sum, laborani sustinens. LXX: et furorem meum impleui et sustinui, et non consumsi eum. Iuxta Hebraicum ex persona prophetae dicitur, quod uenientem iram dei ante prospiciat et plenus sit furoris domini et iracundiae et ultra sustinere non possit nec pro peccatoribus audeat dominum deprecari.

iuxta LXX autem nouus sensus ponitur, quod ipse loquatur dominus et dicat: furorem meum conpleui feriendo populum peccatorem, et tamen retinuerit illum et non totum effuderit, ut reliquiae saluae fiant. quod mihi uidetur sibi esse contrarium; si enim conpleuit furorem suum, quomodo sustinuit, ne conpleret?

Effunde — siue effudit — super paruulum um foris et super concilium iuuenum simul; x i r enim cum uxore capietur, senex cum pleno dierum et transibunt domus eorum ad alteros, agri et uxores pariter. Uel propheta praecipit in spiritu uenienti Chaldaeo, ut effundat furorem domini super paruulos et innoxiae quoque non parcat aetati, uel certe narrat, quid factum sit super concilium iuuenum simul, qui ad repugnandum arma corripuerant.

uir enim cum uxore capietur, dulcissima inter se nomina pariter sentient captiuitatem, senex cum pleno dierum. ergo senectus non est aetas ultima, sed eorum, qui sunt \'pleni dierum\', quos nostro sermone appellamus depositos\' siue \'decrepitos\'. sequitur: et transibunt domus eorum ad alteros captiuitatis malo, agri et uxores simul, ut et coniux ad hostes transeat et possessio. quidquid iuxta litteram intellegimus super Hierusalem, iuxta intellegentiam spiritalem referamus ad ecclesiam, si offenderit deum.

Quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit dominus. a minore quippe usque ad maiorem omnes auaritiae student et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. et curabant contritionem filiae populi mei cum ignominia dicentes: pax. pax! et non erat pax.

Quod in Hebraico dicitur: extendam manum meam super peccatores siue habitatores terrae, apud LXX semper \'eleuabo\' scribitur, qui uterque percutientis est habitus iuxta illud, quod scriptum est: et adhuc manus domini extenta siue excelsa. habitatores autem terrae semper in uitio sunt; unde et in Apocalypsi frequentius dicitur: uae habitatoribus terrae! a minore usque ad maiorem omnes student auaritiae secundum illud apostolicum:

radix omnium malorum auaritia. et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, alii in prophetando mendacium, alii peruerse interpretando legem dei; dicit enim et in alio loco propheta: quaerite legem a sa-cerdotibus. \'et cum\', inquit, \'tanta facerent, prospera quaeque

meo populo nuntiabant et quasi curare cupiebant uulnus et ignominiam filiae meae dicentes: pax, pax, cum pax omnino non esset\'. hoc proprie de sacerdotibus et doctoribus intellegendum, qui diuitibus et eis, quos uident in honore maximo constitutos, repromittunt prospera et clementem praedicant deum magis illos supplicio et iracundiae praeparantes.

Con fusi si sunt, quia abominationem fecerunt? quin potius confusione non sunt confusi et erubescere nescierunt. Pressius hoc legendum est iuxta Hebraicum. \'et cum,\' inquit, (tanta fecerint, numquid confusi sunt? numquid erubuerunt in sceleribus suis? quin potius auxere contemtum et erubescere nescierunt\' — \'nescierunt\' autem hic posuit pro \'noluerunt\' — \'siue nimio contemtu et uitio inoliti mali ne intellegere quidem potuerunt\'.

Quamobrem cadent inter ruentes, in tempore uisitationis suae corruent, dicit dominus. Quoniam\', ait, \'erubescere nescierunt et non solum opus. sed ne scientiam quidem habuere et sensum paenitentiae, propterea cadent, qui prius stabant inter eos; qui uitiis suis corruent et, cum uisitationis et poenae eorum tempus aduenerit, cunctis ruentibus sociabuntur\'. grandis autem impietas non solum non cauere, sed nec intellegere uelle peccata et nullam habere distantiam bonorum malorumque operum.

Haec dicit dominas: state super uias et uidete et interrogate de semitis antiquis, quae sit uia bona, et ambulate in ea! et innenietis refrigerium — siue purificationem — animabus uestris. et dixerunt: non ambulabimus — siue non ibimus — . et constitui super uos speculatores; audite uocem tubae! et dixerunt: non audiemus.

ideo audite — siue audierunt — gentes et cognosce, congregatio - siue qui pascitis greges aut iuxta Symmachum: et cognoscite testimonium, quod in eis est—, quanta ego faciam eis! audi terra! Euangelica parabola, si fuerit intellecta, huius loci praebebit intellegentiam; in qua negotiator bonus omnes uendere dicitur margaritas, ut de pretio earum unam emat pretiosissimam margaritam, quod scilicet per patriarchas et prophetas ueniamus ad eum, qui dicit: ego sum uia.

standum est igitur in prophetis et diligentissime contemplandum et interrogandum de -semitis antiquis siue sempiternis — quae multorum sanctorum sunt tritae uestigiis, quae significantius Graece appellantur τρίβοι —, quae sit uia bona in euangelio, et ambulandum in ea; quae uia cum inuenta fuerit, praebet refrigerium siue purificationem animabus credentium. at illi e contrario responderunt: non ambulabimus per uiam euangelii proprie hoc propheta dicente de perfidia Iudaeorum.

statimque infert: cet constitui super uos speculatores\'—hau dubium. quin apostolorum indicetur chorus iuxta Hiezechiel: fili hominis, speculatorem te dedi domui Israhel -, \'et praecepi, ut audiretis uocem tubae uel mandata euangelii uel doctrinam apostolorum iuxta illud Isaiae: in montem excelsum ascende, qui euangelizas Sion; exalta sicut tuba uocem tuam, qui adnuntias Hierusalem\'.

qui dixerunt: non audiemus et inuitati ad cenam noluerunt uenire; propterea dicitur: audite, gentes! quod secuti sunt et apostoli, quando loquuntur in Lycaonia: uobis quidem oportebat primum loqui uerbum dei; sed quoniam repellitis illud et indignos uos iudicatis aeterna uita, ecce conuertimur ad gentes.

et cognosce, congregatio, nequaquam Iudaica. sed omnium nationum siue, qui pascitis greges, episcopi et presbyteri et omnis ordo ecclesiasticus, uel c ognoscite testimonium, quod in eis est; testimonium enim dei fidele, sapientiam praestans paruulis. quibus loquitur et dominus: noli timere, grex paruule, et: ecce ego et pueri mei, quos mihi dedit deus. \'cognoscite ergo, quanta faciam populo non credenti.\' quodque infertur:

audi, terra, totus orbis ad audiendum uocatur, sicut et in principio Isaiae legimus: audi, caelum, et auribus percipe, terra, quae scilicet dominus facturus sit populo Iudaeorum.

Ecce ego adducam mala super populum istum. fructum cogitationum — siue auersionis — eius, quia uerba mea non audierunt et legem meam proiecerunt. \'Mala\' appellat supplicia poenasque patientium non super gentes, quae uocantur ad euangelii ueritatem, sed super populum, qui respondit: non audiemus. et recepturus est fructum cogitationum siue auersionis suae dicente Dauid: labores manuum tuarum manducabis. causaque perspicua, quia uerba domini non audierint et legem eius abiecerint.

Ut quid mihi tus de Saba adfertis et calamum suaue olentem de terra longinqua? holocausta uestra non sunt accepta et uictimae uestrae non placuerunt mihi. Quod tura de Saba ueniant, nemo dubitat; unde et illud Uergilianum est: centumque Sabaeo ture calent arae. \'calamum\' autem. quod Hebraice dicitur \'cane\'.

pro quo LXX et Theodotio \'cinnamum\' transtulerunt, de terra uenire longinqua propheticus sermo demonstrat, ut intellegamus Indiam, de qua per Mare Rubrum plura ueniunt aromata. hoc genas pigmenti medici xα□□ίαν □ύριγγοςappellant. et est sensus: \'frustra mihi in unguenta conficienda, quae lege praecepta sunt, suauissimi odoris pigmenta confertis et holocausta succenditis, qui meam in lege non facitis uoluntatem\', iuxta quod supra dictum est: uerba mea non audierunt et legem meam proiecerunt.

hoc autem proprie conuenit his, qui de rapinis et nudatione miserorum offerunt sacrificia et elemosynis ex iniquitate se putant redimere peccata dicente scriptura:

redemtio animae uiri propriae diuitiae, quae non de iniquitate, sed de labore et iustitia congregantur.

Propterea haec dicit dominus: ecce ego dabo in populum istum ruinas et ruent in eis — siue infirmitatem et infirmabuntur in ea - patres et filii simul, uicinus ac proximus et peribunt. Impleta uidemus omnia, quae dominus illi populo comminatus est: cotidie enim ruunt in blasphemiis suis nihilque in se habent forte, sed omnis apud eos infirmitas est.

filii patrum sequuntur blasphemias et cotidie recipiunt illam inprecationem: sanguis eius super nos et super filios nostros; et non solum ipsi, sed et uicini et proximi eorum, omnes, qui legem et prophetas sequuntur iuxta occidentem litteram et non iuxta spiritum uiuificantem, et omnes pariter peribunt, quia pariter peceauerunt.

Haec dicit dominus: ecce populus uenit de terra aquilonis et gens magna consurget a finibus terrae. sagittam et scutum — siue xibynnam — arripiet: crudelis est — uel inpudens — et non misere- bitur; uox eius quasi mare sonabit et super equos ascendent praeparati quasi uir ad proelium aduersum te, filia Sion. Proprie hoc de Babyloniis prophetatur, qui uenturi sunt contra populum Hierusalem, et omnis armaturae ordo describitur et impetus proeliantium, ut uocis terrore concussi agant paenitentiam et clementissimum placent deum.

denique dat occasionem rogandi, dum dicit: aduersum te, filia Sion. possumus hoc testimonio abuti persecutionis tempore, quando omnis aduersum nos diaboli rabies concitatur nullaque misericordia est et quasi uehementissimi maris fluctus ita opprimunt resistentes.

Audiuimus famam eius, dissolutae sunt manus nostrae; tribulatio apprehendit nos, dolores quasi parturientis. Respondet populus, cui propheta, immo per prophetam dominus Babylonios comminatus est, quod, antequam ueniant, timore superati sint nec possint eleuare manus et angustia eos conprehenderit quasi dolor parturientem; 6,23quo dolore nihil adfirmant grauius, quae senserunt.

Nolite exire ad agros et in uia ne ambuletis, quoniam gladius inimici, pauor in circuitu! Docet euangelium non esse exeundum in agrum nec de tectorum altitudine descendendum, sed audiendum illud: in monte saluum te fac, ad quem in Isaia et Michea iubemur currere atque conscendere. praecipitur autem iuxta litteram, ne foras exeant, ne deserant muros, sed ut tueantur se firmis munitionibus.

Filia populi mei, accingere cilicio et conspergere cinere; luctum unigeniti — siue dilecti — fac tibi, planctum amarum — siue miserabilem , quia repente ueniet uastator — siue miseria — super nos — siue super uos —! Quia supra dixerat: nolite exire ad agros et in uia ne ambuletis, quoniam gladius inimici, pauor in circuitu, et fugam quoque prohibuerat, docet, quid facere debeant, ut conuertantur scilicet ad paenitentiam et hanc firmissimam et securam habeant armaturam.

ubi nos diximus: luctum unigeniti fac tibi, pro unigenito\' in Hebraico scribitur \'iaid\', quod magis \'solitarium\' quam \'unigenitum\' sonat. si enim esset \'dilectus\' siue \'amabilis\', ut LXX transtulerunt, \'ididia\' poneretur, quod et Salomoni deus nomen inposuit. nihil autem dolentius quam unum uel solum perdere filium.

illudque, quod nos interpretati sumus: quia repente ueniet uastator siue miseria super nos, LXX super uos posuerunt, cum multo deus misericordius dixerit, ut. quidquid super suum uenturum est populum, super se quoque uenire testetur. \'uastatorem\' autem proprie uelNabuchodonosor uel diabolum significat.

Probatorem dedi te in populo meo robustum et scies et probabis uiam eorum. omnes isti principes declinantes - siue inoboedientes —, ambulantes fraudulenter - siue peruerse —, aes et ferrum; uniuersi corrupti sunt. defecit sufflatorium in igne — Quem significantius Graeci φυ□ητῆρα appellant —, consumtum est plumbum, frustra conflauit conflator — siue argentarius —: malitiae enim eorum non sunt consumtae. argentum reprobum uocate eos, quia dominus proiecit illos!

Datur propbeta populo incredulo probator robustus\', quod Hebraice dicitur \'mabsar\'. quod uel \'munitum\' iuxta Aquilam uel \'clausum\' atque \'circumdatum\' iuxta Symmachum et LXX sonat instar urbis firmissimae, ut nullas populi pertimescat insidias, ut, cum probaueris\', ait, \'et scieris uiam populi delinquentis, tunc intellegas argentum aere commixtum nulla posse ratione purgari\'. quomodo enim plumbum miscetur metallis. quae adultera sunt atque uiolata. ut materia separetur aliena, et, si forsitan purgata non fuerit, plumbum omne consumitur et in nihilum redigitur, ita omne eloquium doctrinarum et sermo propheticus perit in his, qui audire contemnunt.

dicamus et super his, qui sicut aspides surdae obturant aures suas, ne audiant uoces incantantium. frustra enim conflauit argentarius siue conflator; malitiae enim eorum non sunt consumtae. unde nequaquam \'argentum\', sed \'argentum reprobum\' sunt uocati, quia dominus abiecit eos. principes autem sunt a domino recedentes siue inoboedientes, qui peruerse ambulant et frandulenter.

Uerbum. quod factum est ad Hieremiam o do- mino dicens sta in porta domus domini et praedica — uel lege — ibi uerbum istud et dic: audite uerbum domini, omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis dominum ! Hoc in editione LXX non habetur, sed de Theodotione ex Hebraico additum est.

imperatur autem prophetae, ut stet in porta domini, per quam ad orandum dominum ingreditur populi multitudo, ut per hanc occasionem possint audire, -quae dominus praecipit. per quod intellegimus duritiam populi Iudaeorum, quod quasi mendaces atque uaesanos habuerint prophetas, dum per occasionem et celebritatem loci audire coguntur uerba domini et non propter hoc, quod uerba sint domini.

Haec dicit dom inus exercituum, deus Israhel: bonas facite — siue dirigite — uias uestras et studia uestra — siue adinuentiones uestras — et habitabo uobiscum in loco isto siue habitare uos faciam in loco isto. Clementissimus medicus omni uulneratos cupit sanare medicamine. quando autem dicit: bonas facite siue corrigite uias uestras, ostendit eas esse peruersas et nihil in se habere boni.

et quia naturale est, ut unusquisque genitae diligat solum et nihil dulcius habeat patria, pollicetur praemia oboedientibus. \'habitabo,\' inquit, \'nobiscum, ut securos de habitatione uos faciam, siue uos ipsos\' — iuxta Symmachum — \'firma habitatione fundabo\', qui ait: et confirmabo uos in loco isto.

Nolite confidere in uerbis mendacibus dicen- tes: templum domini, templum domini, templum domini est! quoniam, si bene direxeritis — siue direxeritis — uias uestras et studia uestra, si feceritis indicium inter uirum et proximum suum, aduenae et pupillo et uiduae non feceritis calumniam — siue non oppresseritis eos — nec sanguinem innocentem effuderitis tis in loco hoc et post deos alienos non ambulaueritis in malum uobismet ipsis, habitabo ucobiscum-siue habitare uos faciam — in loco isto, in terra, quam dedi patribus uestris a saeculo usque in saeculum. Hoc, quod LXX in huius capituli addidere principio:

in uerbis mendacii, quae uobis omnino non proderunt, in Hebraico non habetur. praecipit autem et tunc populo Iudaeorum et hodie nobis, qui uidemur in ecclesia constituti. ne fiduciam habeamus in aedificiorum splendore auratisque laquearibus et uestitis parietibus marmorum crustis et dicamus: templum domini, templum domini, templum domini est. illud enim templum domini est, in quo habitat uera fides, sancta conuersatio omniumque uirtutum chorus.

denique infert: ‘Si rectas feceritis uias uestras et cogitatio uestra non abierit post errorem et secuti fueritis iustitiam et malum non effeceritis neque effuderitis sanguinem innocentem simplices quosque scandalizantes et post deos alienos non ambulaueritis ritis peruersa adorantes dogmata, quae de uestro corde simulastis in malum uobismet ipsis, uel habitabo uobiscum in loco isto, quem uocatis templum dei. et in terra, quam dedi patribus uestris, apostolis uidelicet et apostolicis uiris, uel certe firma statione habitare uos faciam a principio usque ad finem.

’ potest hoc et illis uirginibus conuenire, quae iactant pudicitiam et inpudenti uultu praeferunt castitatem, cum aliud habeat conscientia, et nesciunt illam definitionem apostoli uirginalem, uti sit sancta corpore et spiritu. quid enim prode est corporis pudicitia animo constuprato, si ceteras uirtutes, quas propheticus sermo descripsit, non habuerit?

Ecce uos confiditis uobis in uerbis mendacii — uel mendacibus -, quae non proderunt uobis: furari, occidere, adulterare, iurare mendaciter, libare Bahalim et ire post deos alienos, quos ignoratis. et uenistis et stetistis coram me in domo hac,

in qua inuocatum est nomen meum, et dixistis: liberati sumus — siue desiuimus — eo, quod fecerimus omnes abominationes istas.

Frustra eos in templo habere fiduciam sequentia peccata demonstrant. quid enim prode est audacter ingredi limen domus dei, erecta stare ceruice et non solum cor sed et manus habere pollutas furto, homicidio, adulterio, periurio, sacrilegio et cultu eorum deorum. quos nescias? haec spiritaliter accidere in ecclesia nemo dubitat, quando praesentis temporis considerantes felicitatem sua peccata non reputant et latere arbitrantur deum, quia non statim uindicta consequitur: quin potius in tantam prorumpunt amentiam, ut liberatos se putent. quia post mala opera etiam a cultu domini recesserunt.

Numquid spelunca latronum facta est domus ista siue mea —, in qua inuocatum est nomen meum. in oculis uestris? ego, ego sum, ego uidi, dicit dominus . De hoc loco in euangelio adsumtum puto: scriptum est: domus patris mei domus orationis uocabitur: uos autem fecistis eam speluncam latronum siue. ut in alio euangelio scriptum est. domum negotiationis. ecclesia dei uertitur in speluncam latronum, quando furta.

homicidia, adulteria, periuria, sacrilegium, hereseos adinuentio et omnia in ea scelera uersantur, quando auaritiae facibus principes inardescunt et regum quondam opes uile aut certe non uile palliolum possidet. unde infert: ‘ego. ego sum.

ego uidi. dicit dominus; mei oculi contemplati sunt, quod uos putatis occultum. tenebrae thesaurorum meam non fugiunt conscientiam\’. qui. cum diues esset, pro nobis pauper factus est, nunc in nostris diuitiis erubescit et dicit: uae uobis -diuitibus, qui habetis consolationem uestram!

Ite ad locum meum in Silo, ubi habitauit nomen meum a principio, et uidete, quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israhel ! Ex praeteritis docet praesentia et dieentibus: templum domini, templum domini, templum domini et pretiosae domus fulgore gaudentibus Silo, ubi primum fuit tabernaculum dei, recordatur historiae. de qua in psalmo scriptum est: et reppulit tabernaculum Silo, ut, quomodo ille locus in ruinas cineresque conlapsus est, ita et templum corruat, cum similium habitatio fuerit peccatorum. sicut igitur Silo templi exemplum est, ita templum nobis, quando tempus aduenerit illius testimonii: putas, ueniens filius hominis inueniet fidem super terram?

Et nunc, quia fecistis omnia opera haec, dicit dominus, et locutus sum ad uos mane consurgens et loquens et non audistis et uocaui uos et non respondistis, faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum et in qua uos habetis fiduciam, et loco, quem dedi uobis et patribus uestris, sicut feci Silo, et proiciam uos a facie mea, sicut proieci omnes fratres uestros, uniuersum semen Ephraim.

Hoc. quod posuimus: mane consurgens et loquens, in LXX non habetur. mane autem consurgit deus, non quod aliquod ei tempus absque diluculo sit, sed quo post noctis quietem uiribus corporis instauratis anima hominum uegetior sit et nequaquam uoluptatibus occupata cibique desiderio audire et facere ualeat, quae dicuntur.

unde et illud in psalmo legimus: mane exaudies uocem meam. mane adstabo tibi et uidebo:et in Isaia: de nocte — siue diluculo — consurget spiritus meus ad te, deus, quoniam lux praecepta tua super terram. unde et filios lucis Paulus apostolus appellat et non noctis neque tenebrarum nec dormientes, sicut et ceteri dormierunt, qui dei mandata non sentiunt. quia igitur deus uocauit eos de nocte consurgens, ut et ipsos de tenebris liberaret, comminatur eis similia se esse facturam templo in Hierosolymis, quae fecit loco Silo, ubi primum fuit tabernaculum, ut peccata similia pari sententia feriantur.

et quomodo proiecit dominus semen Ephraim, id est decem tribus. quae uocabantur Israhel et habebant principes, propter Hieroboam, filium Nabat de tribu Ephraim, quae eadem appellabatur tribus Ioseph, sic etiam Hierusalem et tribum Iuda cum Beniamin se abiecturum esse testatur. abiecit igitur Silo, abiecturus et templum; abiecit decem tribus, abiecturus et duas. quidquid illi populo dicitur, intellegamus et nobis, si similia fecerimus.

Tu ergo noli orare pro populo hoc nec adsumus pro eis laudem et orationem — siue nec roges, ut misericordiam consequantur,— et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Ne uideatur rogans propheta non inpetrare, quod postulat, praecipit deus. ne pro populo peccatore et nullam agente paenitentiam deprecetur. quod autem dicit: et non resistas mihi, illud ostendit. quod sanctorum preces irae dei possint resistere.

unde et dominus loquitur ad Mosen: dimitte me. ut percutiam populum istum. et faciam te in gentem magnam; et in Psalmis scribitur: et stetit Finees et placauit et cessauit quassatio et reputatum est ei ad iustitiam. Aaron quoque arrepto turibulo inter ignem arsurnmque populum medius stetit et dei ira cessauit. ac ne putemus crudelitatem dei, qui ne rogari quidem se permittat. reddit causas, cur non exaudiat, dicens:

Nonne uides, quid isti faciant in ciuitatibus Iuda et in plateis Hierusalem? filii colligunt ligna et patres succendunt ignem et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas — siue chauonas — reginae — siue militiae — caeli et libent dis alienis et me ad iracundiam prouocent. numquid me ad iracundiam prouocant? dicit dominus, nonne semet ipsos in confusionem uultus sui?

\’Uis,\’ inquit. audire, propheta. cur tibi dixerim: noli orare pro populo hoc? haec faciunt. quae sequuntur: et intus et foris et in plateis et in exitibus Hierusalem filii ligna conportant et patres succendunt ignem et mulieres conspergunt adipem

cum farina. ut faciant chauonim\' — quas nos \'placentas\' interpretati sumus siue \'praeparationes\'. ut omne genus ostendat sacrificii reginae caeli, quam lunam debemus accipere, uel certe militiae caeli, ut omnes stellas intellegamus,- \'et post haec libent dis alienis, non quo sint, sed quo sub nominibus eorum daemonibus tura succendant et me ad iracundiam prouocentista facientes.

nec intellegunt miseri, quod ista contentio non me laedat, quem numquam ira commutat, sed semet ipsos in confusionem uultus sui et in ignominiam sempiternam.) quidquid igitur facimus, non deum laedimus, qui laedi numquam potest, sed nobis interitum praeparamus thesaurizantes iram in die irae. ideo autem diuersa officia filiorum patrumque et matrum posuit uel uxorum, ut nulla aetas sit, quae ab impietate dissenserit.

Ideo haec dicit dominus deus : ecce furor meus et indignatio mea conflata est — siue stillauit-super locum istum, super uiros et super iumenta et super lignum regionis et super fruges terrae et succendetur et non extinguetur. Qui supra dixerat: numquid me ad iracundiam prouocant? quomodo nunc dicit: ecce furor meus et indignatio mea stillauit super locum istum?

et est sensus: \'ego quidem naturaliter non irascor, sed illi ita agunt, ut me ad iracundiam prouocent et meam uidear mutare naturam. sentiant igitur iratum, quod, quantum in se est facere conantur.\' pulchreque non ait: (effusus est\' furor meus super locum istum. sed: stillauit, ut moderatam poenam significet. sin autem in 86 stilla furoris tanta duritia est. quid fiet. si omnis imber fuerit effusus?

sed et \'conflatio\' sic intellegi potest, ut. quod diu facere noluit, peccatorum multitudine facere conpellatur. cum autem deus iratus fuerit, et homines et ea, quae hominum sunt, similem interitum sentient. \'et succendetur\', inquit — hau dubium quin furor domini —, \'et non extinguetur, quia non agit populus, per quae possit extingui.\'

Haec dicit dominus e.cercituum, deus Israhel: holocaustomata uestra addite uictimis uestris et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus uestris et non praecepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocaustomatum et uictimarum, sed hoc uerbum praecepi eis dicens: audite uocem meam et ero uobis deus et uos eritis mihi populus et ambulate in omni uia, quam mandaui uobis, ut bene sit uobis. Quorum reprobauit templum, consequenter reprobat et sacrificia et oblique arguit eos, quod non ueneratione sui, sed epularum desiderio immolent uictimas.

quod autem ait: non sum locutus cum patribus uestris et non praecepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, super uerbo holocausti et uictimarum, manifeste intellegitur, quod primum decalogum dederit in tabulis lapideis scriptum digito dei et post offensam idololatriae caputque uituli postea iusserit sibi magis fieri quam

daemonibus auferens puram religionem mandatorum dei et concedens sanguinem uictimarum carniumque desiderium.

Et non audierunt nec inclinauerunt aurem suam; sed abierunt in uoluntatibus — siue desideriis - et prauitate cordis sui mali factique sunt retrorsum et non inante a die, qua egressi sunt patres eorum de terra Aegypti, usque ad hunc diem.

\'Me dicente: audite uocem meam et ero uobisdeus et reliqua, non audierunt nec inclinauerunt aurem suam, sed sui cordis fecere desideria et contra apostoli sententiam, qui praeteritorum obliuiscebatur et in priora se extendebat, fecere contraria, ut praeterita cuperent et futura contemnerent! quodque dicit:

a die, qua egressi sunt patres eorum de terra Aegypti, usque ad diem hanc, omne tempus in medio dicit eos per offensam domini transegisse. unde et necessaria fuit euangelii gratia, quae illos non suo mento, sed domini misericordia conseruauit.

Et misi ad uos seruos meos, prophetas, per diem consurgens diluculo et mittens; et non audierunt rite nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem et peius operati sunt quam patres eorum. Iusta ergo ira domini, quae conflata est et stillauit super populum contemtorem duraeque ceruicis et dei uerba audire nolentem. quomodo autem deus uel de nocte uel diluculo et in die mittat prophetas, supra diximus.

Et loqueris ad eos omnia uerba haec et non audient te et uocabis eos et non respondebunt tibi. et dices ad eos: haec est gens, quae non audiuit uocem domini dei sui nec recepit disciplinam; periit fides et ablata est de ore eorum. (Ne dubites\'. inquit. \'eos indurasse ceruicem et peiora patribus suis operatos, ecce do locum paenitentiae nec ideo loquor, ut fiant, sed quia futura sunt, idcirco praedico.

saltim nunc loquere eis uerbis meis et tamen non audient te et uocabis eos et non respondebunt tibi; tantae enim erunt superbiae, ut, cum uocaueris eos ad audiendum, nullus respondere dignetur. et dices ad eos: haec est gens, quae nonaudiuit uocem domini dei sui nec recepit disciplinam\'. pulchre, ut ante iam dixi, nequaquam populum suum, sed gentem uocat.

quod licet et in tempore prophetarum ex parte sit factum et in umbra praecesserit et in imagine, tamen plenius completur in Christo, quando noluerunt recipere disciplinam et uocem sui domini contemserunt. unde eleganter infertur: periit fides, quae proprie Christianorum est, et ablata est de ore eorum omnis uidelicet filii dei fideique confessio.

l\'onde capillum tuum et proice et sume in directum — siue super labia — planctum, quia proiecit dominus et reliquit generationem furoris sui Et lob audita filiorum et filiarum morte capillos legimus totondisse et apud ueteres haec erat omnium consuetudo lugentium tondere caesariem; at nunc e contrario comam demittere luctus indicium est.

omnis autem planctus et lamentatio prophetalis idcirco adsumitur, quia proiecit dominus et reliquit generationem furoris sui: hau dubium, quin populum significet ludaeorum. et proprie hoc ad Christi tempora referendum, quando periit fides et de ore ablata est populi dominum blasphemantis.

Quia fecerunt filii Iuda malum in conspectu meo, dicit dominus; posuerunt offendicula sua in domo, in qua inuocatum est nomen meum, ut poluerent, et aedificauerunt excelsa — siue aram — Tofeth, quae est in ualle filii Ennom, ut incenderent filios suos et filias suas igne; quae non praecepi nec cogitant in corde meo.

Quod in templo dei filii Iuda statuam Bahal posuerint, in Hiezechielis principio discimus. \'excelsa\' autem, quae Hebraice appellantur (bamath\', siue \'aram\' Tofeth, quae est in ualle filiorum Ennom, illum locum significat, qui Siloae fontibus inrigatur et est amoenus atque nemorosus hodieque hortorum praebet delicias. hic autem gentilitatis error omnes prouincias occupauit, ut ad capita fontium lucosque amoenissimos uictimas immolarent et omnis prauae superstitionis religio seruaretur.

\'Tofeth\' lingua Hebraea interpretatur \'latitudo\' scriptumque fertur in libro Iosue, filii Nun, de hoc loco, qui est in ualle filiorum Ennom et Hebraice dicitur \'gehennom\'; \'ge\' quippe φάραγγα, hoc est \'uallem\', et \'hennom\' uel hominis nomen uel \'gratiam\' sonat. traduntque Hebraei ex hoc loco appellatam \'gehennam\', quod scilicet omnis populus Iudaeorum ibi perierit offendens deum, in quo loco etiam filios suos in igne idolis consecrarint siue holocaustum optulerint, quae non praeceperit eis nec ulla legis iusserit sanctione.

quodsi Iepthae optulit filiam suam uirginem deo, non sacrificium placet, sed animus offerentis; neque enim, si canis aut asinus aut inmundum quodlibet animal primum occurrisset patri a caede hostium reuertenti, deo illud offerre debuerat.

Ideo ecce dies uenient, dicit dominus, et non dicetur amplius Tofeth et uallis filii Ennom, sed uallis interfectionis et sepelient in Tofeth eo, quod non sit locus. et erit morticinum populi huius in cibum uolucribus caeli et bestiis terrae et non erit. qui abigat. Tempus obsidionis significat, quod ab anno nono regis Sedeciae usque ad annum undecimum perpessi sunt, et quod nequaquam uocetur uallis ipsa \'gehennom\', hoc est \'uallis hennom\', siue \'filiorum Ennom\', sed ob interfectionem plurimorum \'uallis occisionis\'.

tauta autem caedes erit, ut in loco prius religionis sepulchra sint innumerabilia et, quos sepelire non potuerint, lacerentur ab auibus et a bestiis deuorentur nullusque sit, qui abigat similia metuens et humandi uictus officiis. manifesta transcurrimus, ut, sicubi locus fuerit, in obscuris moremur. ipsius enim libri magnitudo fastidium potest facere legentibus: quanto magis, si a nobis latius disseratur!

Et quiescere faciam de urbibus Iuda et de plateis Hierusalem uocem gaudii et uocem laetitiae et uocem sponsi et uocem sponsae; in desolationem enim erit terra. Cum locus idololatriae uersus fuerit in sepulchra, ut. ubi deum offenderant, ibi eorum inhumata iaceant cadauera, de urbe quondam Hierusalem et de ceteris urbibus. quae sub illius dicione erant, auferetur omnis laetitia et maerore gemituque et desolatione omnia complebuntur.

In tempore illo, ait dominus, eicient ossa regis Iuda et ossa principum eius et ossa sacerdotum et ossa prophetarum et ossa eorum, qui habitauerunt in Hierusalem, de sepulchris suis. et expandent ea ad solem et lunam et omnem militiam caeli, quae ditxeru ut et quibus seruierunt et post quae ambulauerunt et quae quaesierunt et adorauerunt, non colligentur et non sepelientur; in sterquilinium super faciem terrae erunt. et eligent magis mortem quam uitam omnes, qui residui fuerint de cognatione hac pessima in uniuersis locis, quae derelicta sunt, ad quae eieci eos, dicit dominus exercituum.

Omnia, quae prophetalis sermo describit. nostro tempore cernimus accidisse, non uni Hierusalem, quae ista perpessa est a Chaldaeis atque Romanis, sed uniuerso orbi, ita ut lacrimae aruerint et ossibus mortuorum uniuersa completa sint. et quia solebant iuxta antiquum morem aurum et quaedam ornamenta uel mulierum uel uirorum in sepulchris condere, haec quoque frangebat et effodiebat auaritia, ut caelo et luci proderent.

et ideo primum regum Iuda et principum eius, sacerdotum quoque et prophetarum et uniuersi populi, qui fuerant in Hierusalem, ossa de tumulis proferebantur patentia soli et lunae et omni stellarum aspectui, ut, quibus seruierant derelicto deo, eorum paterent aspectibus et consumta in sterquilinium et cineres soluerentur, si quis autem de multitudine potuisset effugere, ad quaecumque loca uenisset, mortem praeferret uitae et remedium infelicis animae putaret interitum.

Et dices ad eos: haec dicit dominus: numquid, qui cadit, non resurget? et qui auersus est, non reuertetur — siue non auertet —? Post tanta mala ad paenitentiam prouocat eos, qui potuerint remanere, siue priusquam ueniant. quae minatus est, hortatur ad conuersionem et dat locum paenitentiae.

quod autem iuxta Hebraicum scriptum est:etqui auersus est. non auertetillud significatquod, qui a deo auersatus est, si uoluerit ad meliora conuerti. possit et dei furorem ad meliora conuertere et uenienti obsistere et plagas precibus euitare.

Quare ergo emersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa, adprehenderunt mendacium et noluerunt reuerti? \'Quanto ego\', inquit. \'magis ad paenitentiam prouocaui, tanto illi plus recesserunt a me non tam peccandi studio quam me superandi. adprehenderunt enim fortiter mendacium uel idola uel praua quaeque ueritati iustitiaeque contraria et noluerunt reuerti\'non dixit \'non potuerunt\' —, \'sed omni studio iniqua sectati sunt\'.

Attendi et auscultaui; nemo, quod bonum est, loquitur, nullus est, qui agat paenitentiam super peccata suo dicens: quid feci? omnes conuersi sunt ad cursum suum quasi equus impetu uadens ad proelium . Reuocati ad paenitentiam audire contemnunt nec sufficit eis contra dominum deliquisse et locutos esse blasphemiam, sed omnes instar equorum et feruido cursu ad proelium ruentium non recogitant super peccato suo nec dicunt: quid feci?

per quae intellegimus uel de omni genere humano ista dici, quod pronum sit ad uitia, uel de tempore saluatoris, quando omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non fuit. qui faceret bonum, non fuit usque ad unum. unde et ipse mystice clamitat: saluum me fac, domine, quoniam defecit sanctus! sin autem haec ita se habent. ubi sunt, qui in nostra esse dicunt positum uoluntate omni carere peccato? nemo, inquit, quod bonum est loquitur, quia etiam pro otioso uerbo reddituri sumus rationem in die iudicii.

Miluus in caelo cognouit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus aduentus sui; populus autem meus non cognouit iudicium domini . Pro \'miluo\', quem interpretatus est Symmachus, LXX et Theodotio ipsum uerbum Hebraicum posuere \'asida\', Aquila \'herodiona\'. rursumque pro \'hirundine\' Symmachus \'cicadam transtulit, quae Hebraice dicitur (sis\'. pro eo autem, quod nos posuimus \'ciconiam\', et Aquila et Symmachus ita, ut in Hebraeo scriptum est, \'agur\' transtulerunt. pro quo LXX \'agri passeres\' interpretati sunt.

unus autem atque idem sensus est, qui et in Isaiae principio ponitur: agnouit bos possessorem suum et asinus praesaepe domini sui, Israhel autem me non cognouit et populus meus non intellexit; quod etiam paruae aues sua norint tempora et sciant, quando ad calida festinantes loca rigorem hiemis debeant declinare et rursum ueris principio ad solitas uenire regiones. \'caelum\' autem hic pro \'aere\', qui supra est, debemus accipere.

Quomodo dicitis: sapientes sumus et lex domini nobiscum est? uere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. Ad scribas loquitur et Pharisaeos, qui legis iactant notitiam et scribentes scribunt iniquitatem. quodque ait:

Con fusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt, non quo sapientes sint, qui ista faciunt, sed sapientes uocat, ut suo iudicio condemnentur et e contrario sapientia eorum conuincatur stultitia dicente Paulo: qui doces alium, te ipsum non doces? et quia uerbum domini proiecerunt, ideo nulla sapientia est in eis. frustra igitur iactant legis scientiam, qui doctrinam operibus destruunt.

Propterea dabo mulieres — siue uxores — eorum externis, agros eorum heredibus, quia a minimo usque ad maximum omnes auaritiae student, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium — siue iniquitatem —. et sanabant contritionem filiae populi mei ad ignominiam dicentes: pax, pax, cum non esset pax.

Receperunt mercedem operum suorum, ut, qui uerbum domini proiecerunt, ipsi abicerentur ab eo. \'uxores\', inquit, \'eorum et possessiones tradam hostibus. et ne mea crudelis putetur esse sententia, causas auditor agnoscat: a minimo usque ad maximum omnes auaritiae student — radix est enim omnium malorum auaritia —, a propheta usque ad sacerdotem. qui alios peccantes prohibere deberent, primi sceleribus subiacent et cuncti uel iniqua faciunt, dum aliena diripiunt, uel certe mendacium, ut non sit ueritas in ore eorum. et post ista quasi boni medici aliena uulnera uerbis sanare cupiebant, qui ipsi erant omnium flagitiorum confossi uulneribus .

haec cotidie in nostro quoque populo cernimus dicente apostolo: qui praedicas non furandum, furaris et reliqua. qui cum peccatores et diuites uiderint, sanare cupiunt contritionem filiae populi dei, hoc est ecclesiae, in ignominiam uel eorum, qui decipiuntur. uel eorum. qui alios decipiunt. ut dicant omni facinore coopertis: pax, pax. cum nulla sit pax, et bellum eis immineat peccatorum.

Confusi sunt, quia abominationem fecerunt. quin immo confusione non sunt confusi et erubescere nescierunt. Ἐρωτηματικῶς hoc est legendum: ut sit sensus: \'erubuerunt in sceleribus suis, intellexerunt abominationes quas operati sunt?\' \'nequaquam, sed in tantam proruperunt amentiam, ut nec confusione cuperent emendare uitia nec spe ueniae sua scelera confiteri\'.

Idcirco cadent inter corruentes; in tempore uisitationis suae corruent, dicit dominus. Haec sunt praemia eorum, qui erubescere nescierunt, ut. quorum dignitas erat excelsior populis, ruinis populi miscerentur. a minimo enim usque ad maximum omnes auaritiae student et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium: uisitationis autem tempus propinqua captiuitas est.

Congregans congregabo eos, dicit dominus; non est uua in uitibus et non sunt ficus in ficulnea: folium defluxit et dedi eis, quae praetergressa sunt. Quod sit tempus uisitationis, in quo corruent delinquentes, manifestius docet dicens: \'congregans congregabo eos\' — hau dubium quin in Hierusalem —, ut obsideantur a Chaldaeis longo tempore et famis sustineant mala. cum\', inquit. \'tempora praetereant et aestati succedat autumnus et hieme arborum cadant folia, uidebitis cuncta de longe et ex his non capietis cibum. non est enim uua in uitibus uobis.

qui fructus uitium non sumitis. et non sunt ficus in ficulnea obsesso populo, qui suarum arborum poma cernit ab hostibus diripi. folia\', inquit. \'defluent aestate autumnoque transactis. dedi enim eis, quae praeterire cernerent et maiore dolore amitterent rerum omnium abundantiam. Quam eis tangerre non licebat\'.

Quare sedemus? conuenite et ingrediamur ciuitatem munitam — siue ciuitates munitas — et sileamus ibi — siue proiciamur ibi —, quia dominus noster abiecit — siue silere fecit — nos et potum dedit nobis aquam fellis; peccauimus enim domino. exspectauimus pacem et non erat bonum, tempus medelae et ecce formido.

Uox populi respondentis inducitur et sua uitia contitentis et cohortantis se mutuo, ut ciuitates ingrediantur muratas siue unam ciuitatem Hierusalem: iam enim ceterae captae fuerant. \'et sileamus\', inquit, \'ibi, quia dominus noster silere nos fecit — non enim habemus fiduciam deprecandi —, siue abiciamur ibi siue proiciamur instar stercoris. ipse potauit nos aquas fellis, quia dulcem in amaritudinem conuertimus deum.

et ut tales biberemus aquas, causa perspicua est: peccauimus enim domino et exspectauimus pacem, qui nihil boni operis feceramus putabamusque nobis tempus adesse medicinae, cum formidine atque terrore omnia conplerentur\', personarum mutatio, et maxime in prophetis, difficilem intellectum facit; quae si suis locis et causis temporibusque reddantur, plana fient, quae uidebantur obscura.

A Dan auditus est fremitus equorum eius, a uoce hinnituum pugnatorum — siue equitatus — eius commota est omnis terra; et uenerunt et deuorauerunt — siue et uenient et deuorabunt — terram et plenitudinem eius, urbem et habitatores eius.

Non igitur, ut supra LXX transtulerunt, dixit populus: ingrediamur ciuitates munitas, sed: ciuitatem munitam, ut significet Hierusalem. denique et nunc infert: urbem et habitatores eius. describitur autem a Dan per Phoenicem ueniens cum exercitu Nabuchodonosor, in quo loco Iordanes fluuius oritur. et quae LXX futura, Hebraicum pro ueritate rei iam facta commemorat.

Quia ecce ego mittam uobis serpentes regulos — siue pessimos ant, ut Septuaginta transtulerunt, mortiferos —, quibus non est incantatio: et mordebunt KOS, ait dominus, insanabiliter cum dolore cordis uestri deficientis.

Qui sint illi, qui ueniunt a Dan pt quorum auditus est fremitus et qui terram omnem ad solitldinem redegerunt. sub alia figura idem prophetalis sermo demonstrat \'serpentes\' eos appellans \'pessimos\' siue \'mortiferos\' et, ut Aquila transtulit, \'regulos\', qui appellantur Hebraice \'sapphonim\': pro quo, quid sibi uoluerit secunda eius editio. ut \'speculatores\' diceret, non intellego. nisi forte ob uerbi similitudinem. quibus non est. ait. incantatio.

frustra enim ad deum preces fundunt aduersum serpentem antiquum. colubrum tortuosum, qui dei praecepta contemserint. utamur hoc loco aduersum eos, qui saluatoris eloquia contemnentes traduntur aduersariis potestatibus.

Dolor meus super dolorem. in me cor meum maerens. Pro quo, ut supra diximus, LXX superiori sententiae, quae dicta sunt, copularunt, ut ponerent: et mordebunt uos, ait dominus, insanabiliter cum dolore cordis uestri deficientis. in Hebraico autem non tam \'dolor\' est. qui Graece dicitur ὀδύνη, quam μειδίαμα, quod nos interpretari possumus \'rictum\' oris dolore contracti et habentem risus similitudinem. ἐμφατικῶς autem haec ex persona dei legenda sunt plangentis euersionem Hierusalem et eius miserias non ferentis.

Ecce uox clamoris filiae populi mei de terra longinqua! Fletum describit et ululatum urbis Hierusalem ingressis hostibus.

Numquid dominus non est in Sion aut rex eius non est in ea? Siue dominus ipse est rex aut certe dominus ad patrem, rex refertur ad filium iuxta illud, quod sub nomine Salomonis scribitur: deus, iudicium tuum regi da et iustitiam tuam filio regis. ut autem uox clamoris sit in Hierusalem et clamor ipse ueniat de terra longinqua, causa manifesta est, quod dominus non sit in ea et rex illius recesserit ab illa.

Quare ergo me ad iracundiam concitauerunt in sculptilibus suis et in uanitatibus alienis? \'Recessit autem\', inquit, ab eis dominus, quia me, qui dominus et rex eorum eram, idolorum cultu ad iracundiam prouocarunt\'.

Transiit messis, finita est aestas; et nos saluati non sumus. Rursum populus loquitur, qui in Hierusalem diuturna obsidione conclusus est, quod mutata sint tempora et anni circulus euolutus sit et omnis eorum spes irrita fuerit atque transierit.

stupor contritione filiae populi mei contritus sum et contristatus, stupor obtinuit me. Respondet deus, quod in adflictione Hierusalem ipse uideatur adflictus, et in humanam similitudinem stupore conteritur.

Numquid resina non est in Galaad aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiae populi mei? Non solum in praesenti loco, sed et multis aliis testimoniis scripturarum inuenimus resinam Galaad pro paenitentia poni atque medicamine mirarique nunc deum, quare uulnera Hierusalem nequaquam curata sint et necdum cicatrices obduxerint cutem eo, quod non sint prophetae nec sacerdotes, quorum debeant curari medicamine.

Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum? et plorabo die et nocte interfectos filiae populi mei. \'Si totus\', inquit, \'uertar in fletum et nequaquam guttae sint lacrimarum. sed abundantia fluminis. tamen interfectos filiae populi mei digne flere non potero. tanta enim sunt mala. ut omnem dolorem sui uincant magnitudine\'. hoc autem tam ex prophetae quam ex domini persona intellegi potest.

Quis dabit me in solitudine diuersorium uiaforum? et derelinquam populum meum et recedam ab eis. LXX: quis det mihi in solitudine mansionem nouissimam, ut relinquam populum meum et recedam ab eis? \'Melius\', inquit, (est habitare in extrema solitudine quam inter tanta hominum scelera commorari\'. unde et saluator in euangelio loquebatur: usquequo sustinebo uos? et in alio loco scriptum est: in tempore illo, qui intellegit, sedebit et tacebit, quoniam tempus pessimum e s t.

Quia omnes adulteri sunt, coetus praeuaricatorum, et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non ueritatis; confortati sunt in terra, quia de malo in malum egressi sunt et me non cognouerunt, dicit dominus. De malo in malum

transeunt peccatores, quando idolum mutant idolo et de peccatis ad peccata transcendunt uel certe de obsidionis malo transeunt ad captiuitatem.

et de sanctis quidem dicitur: ibunt de uirtute in uirtutem, de peccatoribus uero: de malo in malum egressi sunt. causaque omnium miseriarum, quod non cognouerint dominum coetusque sit praeuaricantium et armantium linguam suam instar extenti arcus in blasphemiam: confortatique sunt in terra, ut mereantur audire: terra es et in terram ibis.

Unusquisque se a proximo suo custodiat et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantatione supplantat et omnis amicus fraudulenter incedit et uir fratrem suum deridebit et ueritatem non loquentur; didicit enim lingua eorum loqui mendacium — siue docuerunt enim linguam suam loqui mendacium —. ut inique agerent, laborauerunt — siue inique egerunt et non inter- miserunt, ut conuerterentur —. habitatio tua in medio doli; in dolo — siue usura super usuram et dolus in dolo: — rennuerunt — siue noluerunt — scire me, dicit dominus.

Hoc loco utendum est in tempore persecutionis et angustiae, quando aut rara aut nulla fides. quando nec fratri nec proximo credendum est et inimici eius domestici eius, quando iuxta euangelium tradet pater filium et filius patrem et diuiduntur duo in tres et tres in duo. quodque infert: docuerunt linguam suam loqui mendacium siue didicit lingua eorum loqui mendacium, ostendit consuetudinem mentiendi quodammodo in naturam uerti studioseque eos agere. ut agant iniqua. quodque sequitur: habitatio tua in medio doli.

in dolo, proprie ad prophetam sermo dirigitur, quod habitet in medio populi mentientis — siue, ut LXX transtulerunt: usura super usuram et dolus super dolum — et quod cotidie augeant scelera et nequaquam eos prioris facti paeniteat, sed nonis praeterita cumulent, haec facientes omni agant studio, ut nesciant dominum, qui haec non facienda praecepit.

Propterea haec dicit dominus exercituum: ecce ego conflabo - siue igne examinabo - et probabo eos; quid enim aliud faciam a facie filiae populi mei? siue quia faciam a facie malitiae filiae populi mei. Quotiescumque angustiis subiacemus, mala recipimus a deo et examinamur persecutionibus, ut, quicquid in nobis adulterinae materiae est, tribulationum et miseriarum excoquatur ardoribus: argentum enim domini igne examinatum. probatum terrae. purgatum septuplum.

Sagitta uulnerans lingua eorum, dolum locuta est; in ore suo pacem cum amico suo loquitur et occulte ponit ei insidias. numquid super his non uisitabo, dicit dominus, aut in gente huiuscemodi non ulciscetur anima mea?

Omnis hereticus, qui corda uulnerat audientium et nescientium scriptum: omni custodia serua cor tuum, sagittam possidet uulnerantem et in dolo loquitur, cumque ore suo pacem proximo repromittat, occulte tendit insidias. sequentibus autem

uersiculis, in quibus dicit: numquid super his non uisitabo, dicit dominus, aut in gente huiuscemodi non ulciscetur anima mea? crebro in hoc propheta abutitur, ut, cum singula malorum operum enumerarit, inferat se iuste facere, quod faciat.

Super montes assumam — siue assumite — fletum et lamentum et super speciosa — siue se mitas — deserti planctum, quoniam incensa sunt - siue defecerunt — co, quod non sit uir — siue homo — pertransiens. et non audierunt uocem possidentis - siue substantiae , a uolucre caeli usque ad pecora migrauerunt et recesserunt.

Superueniente Babylonio et cuncta uastante solitudo prouinciae prophetatur. quod planctus in montibus, fletus sit in deserto siue in semitis solitudinis, quod uniuersa defecerint atque succensa sint et nullus sit, qui per terram gradiatur caesis omnibus. nihilque remanserit, quod spirare possit et uiuere. unde pro \'possidente\' LXX transtulerunt \'substantiae\', quae Hebraice dicitur \'macne\': et substantia hic non pro οὐσία, hoc est \'essentia\', accipitur, sed pro \'opibus\' atque \'diuitiis\'.

quodque infert: a uolucre caeli usque ad pecus recesserunt et abierunt, hoc ostendit, quod saepe diximus, iram dei uniuersa sentire et non solum aues aeris, sed et pisces aquae deficere. iuxta tropologiam fletus assumitur super montes et lamentatio super speciosa deserti, quando principes peccant ecclesiae et nihil in ea inuenitur substantiae dei nec auditur uox domini eccleesiam possidentis per sanctos et apostolicos uiros et a uolucre caeli usque ad pecora, ab his uidelicet, qui possunt in sublime ascendere, usque ad irrationales et simpliciores quosque, recesserint a conciliabulo dei.

Et dabo Hierusalem in aceruos harenae — siue in transmigrationem — et in cubilia draconum et ciuitates Iuda dabo in desolationem eo, quod non sit habitator. Cum ecclesiastici uiri et doctores quique defecerint, tunc datur Hierusalem in transmigrationem siue in aceruos harenae. ut hereticus in ea sermo praeualeat et efficiatur cubile draconum et ciuitates illius redigantur in solitudinem nec sit in ea diuini sermonis habitatio et ille. qui dicit: inhabitabo et inambulabo in eis et ero deus eorum.

Quis est uir sapiens, qui intellegat hoc et ad quem uerbum oris domini fiat et annuntiet istud: quare periit terra et exusta est quasi desertum eo, quod non sit, qui pertranseat? et dixit dominus : quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, et mora audierunt uocem meam et non ambulauerunt in ea et abierunt post prauitatem cordis sui et post Bahalim, quos didicerunt a patribus suis.

Interrogat propheta, si quem sapientium in Hierusalem ualeat repperire et eorum, ad quos fiat sermo dei et qui possint annuntiare domini uoluntatem et causas reddere, cur Iudaea redacta sit in solitudinem et omnibus interfectis nullus remanserit, qui per eam transeat. et inducit dominum respondentem causasque reddentem, quia dereliquerint legem eius, quam dederat eis, nec audierint uocem illius nec fecerint, quae praecepta sint, sed abierint post prauitatem cordis sui.

ergo non in nostra uoluntate, sed in domino confidendum est; prauum enim cor in hominibus et de corde nostro exeunt pessimae cogitationes. et post Bahalim, inquit, abierunt, quos didicerunt a patribus suis. Bahal idolum Sidoniorum et est numeri singularis, Bahalim uero pluralis numeri. ergo nec parentum nec maiorum error sequendus est, sed auctoritas scripturarum et dei docentis imperium

Idcirco haec dicit dominus exercituum deus Israhel: ecce ego cibabo eos, populum istum, absinthio - siue angustiis — et potum dabo eis aquam fellis et dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt ipsi et patres eorum, et mittam post eos gladium, donec consumantur. Potest et de uicino tempore prophetari, quando capti sunt a Chaldaeis, et proprie de hoc tempore, quando dispersi sunt in gentibus, quas non nouerant ipsi et patres eorum, et in toto orbe diuisi cibatique suut absinthio siue necessitatibus et angustiis.

et acceperunt potum aquam fellis, quod aut malorum significat magnitudinem et sempiteruum captiuitatis iugum, aut certe per ignorantiam legis dei pro Christo Antichristum suscepturi sunt. mittitur autem gladius post eos, ut usque ad interitum consumantur, uel certe gladius, qui eos diuidat et non patiatur in malum habere consensum, ut dispereant in eo, quod mali sunt.

Haec dicit dominus exercituum; contemplamini — siue intellegite — et uocate lamentatrices et ueniant et ad eas, quae sapientes sunt, mittite et properent — siue loquantur —, festinent et assumant super nos — siue super uos - lamentum et deducant oculi nostri — siue uestri — lacrimas et palpebrae nostrae — siue uestrae — defluant aquis, quoniam uox lamentationis audita est de Sion siue in Sion.

Propter futuram captiuitatem et euersionem Hierusalem lamentatrices uocari iubet, quae solent in luctu uoce flebili et lacertos manibus uerberantes ad lacrimas populum prouocare; hic enim mos usque hodie permanet in Iudaea, ut mulieres sparsis crinibus nudatisque pectoribus, uoce modulata omnes ad fletum concitent. se autem iungit deus conpatientis affectu siue propheta, ut, quicquid populus sustinet, ipsum sustinere et sentire se dicat. quod autem infert: quia uox lamentationis audita est de Sion, statim sequitur, quae ista sit uox.

Quomodo uastati sumus et confusi uehementer? quia dereliquimus terram, quoniam deiecta sunt - siue abiecimus — tabernacula nostra. Uox ista est lamentantium Sion: quomodo uastati sumus et confusi uehementer?

statimque sibi ipsi respondent et causas uastationis exponunt dicentes: quia dereliquimus terram nostro uitio atque peccato et deiecta sunt tabernacula nostra, quae quasi praetereuntes quondam possidebant. dicant hoc et in persecutione quondam credentium turbae, quoniam idcirco uastatae sint atque confusae, quia dereliquerint terram domini et deseruerint tabernacula sua.

Audite ergo, mulieres, uerbum domini et assumat auris uestra sermonem oris eius et docete filias uestras lamentum et unaquaeque proximam suam planctum, quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis! In superiore capitulo dixerat: uocate lamentatrices et ueniant et ad eas, quae sapientes sunt, mittite et properent; nunc quasi praesentibus loquitur in condemnationem sacerdotum atque doctorum et uirorum omnium, ut illis cessantibus a doctrina istae audiant uerbum domini et assumant sermones oris eius doceantque filias et proximas suas planctum causasque lacrimarum, quia ascendit, inquit. mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.

quod quamquam et spiritaliter possit intellegi eo, quod per omnes sensus ad animae interitum mors introeat peccatorum, tamen et de Babyloniorum impetu intellegi potest. quod tanta sit fortitudo et uelocitas proeliandi, ut non exspectent reserare fore. sed per fenestras et tecta conscendant, ut domos uastent Hierusalem. pereunt autem paruuli, qui foris sunt et egrediuntur de Hierusalem, et iuuenes, ad quos scribit et Iohannes. qui non ingrediuntur per artam et angustam uiam, quae ducit ad uitam. sed ambulant per plateas, de quibus scriptum est: quam lata et spatiosa uia, quae ducit ad mortem!

Loquere: haec dicit dominus: et cadet morticinum hominis — siue cadauera hominum - quasi stercus super faciem regionis — siue campi — et quasi faenum post tergum metentis et non est, qui colligat. Uerbum Hebraicum, quod tribus litteris scribitur \'daleth, beth, res\' — uocales enim in medio non habet —, pro consequentia et legentis arbitrio si legatur \'dabar\', \'sermonem\' significat, si \'deber\', mortem), si \'dabber\'. \'loquere\'. unde et Septuaginta et Theodotio iunxere illud praeterito capitulo, ut dicerent: disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis morte.

Aquila uero et Symmachus transtulerunt λάλησον, \'loquere\', ut imperet deus prophetae loqui, quae sequuntur: haec dicit dominus et reliqua. et est sensus: cum ascenderit mors per fenestras nostras et ingressa fuerit domos Hierusalem et paruuli iuuenesque de foris perierint et plateis, tunc erit morticinum eorum siue cadauera mortuorum quasi in sterquilinium super faciem terrae et quasi stipula, quae post tergum metentium dimittitur et ut inutilis non colligitur. per quae ostendere uult tantam in Hierusalem et circa urbem caedem futuram, ut nullus sit, qui sepeliat corruentes.

Haec dicit dominus: non glorietur sapiens in sapientia sua et non glorietur fortis in lortitudine sua et non glorietur diu in dinitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire — siue intellegere — et nosse me, quia ego sum dominus, qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam in terra! haec enim placent mihi — siue quia in istis est uoluntas mea —, dicit dominus.

Omnis hominum aufertur superbia, dum et sapientia et fortitudo et opes eorum reputantur in nihilum et ista est sola gloriatio, ut sciat et intellegat, quod ipse sit dominus, qui facit misericordiam et iudicium et iustitiam super terram, quod omnia dei prouidentia et iustitia gubernentur et, quae nobis uidentur non habere rationem, iustitiae plena sint atque rationis.

haec enim sola placent deo et in his uoluntas illius est. ubi sunt ergo, qui dicunt proprio hominem regi arbitrio et sic datam liberi arbitrii potestatem, ut dei misericordia tolleretur atque iustitia? unde et apostolus assumens hoc testimonium ponit exemplum: qui gloriatur. in domino glorietur.

Ecce dies ueniunt, dicit dominus, et uisitabo super omnem, qui circumcisum habent praeputium, super Aegyptum et super ludam et super Edom et super filios Ammon et super Moab et super omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto, quia omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus Israhel incircumcisi sunt corde.

Multarum ex parte quadam gentium et maxime, quae Iudaeae Palestinaeque confines sunt. usque hodie populi circumciduntur et praecipue Aegyptii et Idumaei, Ammanitae et Moabitae et omnis regio Saracenorum, quae habitat in solitudine et de quibus dicitur: super omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto.

non igitur debet gloriari Iuda, qui mixtus est cum gentibus supra scriptis, eo, quod praeputium non habeat. sed ex lege dei circumcisus sit, cum et alii haec faciant, qui legis mandata non seruant et ignorant deum Israhel. nec prode est circumcisio, quae in signum data est, nisi praecepta domini conpleantur: sicut et comae, quae gentem significant, non robora corporum et fortitudinem pugnatorum.

quodque sequitur: omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus Israhel incircumcisi sunt corde, hunc habet sensum: cum praeter Aegyptios, Idumaeos, Ammanitas et Moabitas, Ismaelitas in solitudine commorantes, quorum plerumque pars circumcisa est, omnes aliae nationes in toto orbe incircumcisae sint carne, omnis domus Israhel incircumcisa est corde. non carne, quae incircumcisio ducit ad mortem: illa enim carnis, haec spiritus est.

Audite uerbum, quod locutus est dominus super uos, domus Israhel! haec dicit dominus: iuxta uias gentium nolite discere et a signis caeli nolite metuere, quae timent gentes, quia leges populorum uanae sunt!

Proprie aduersum eos loquitur, qui uenerantur caelestia et, quae in signa sunt posita annorum, temporum, mensuum et dierum, ab his aestimant regi humanum genus et ex causis caelestium terrena moderari. quodque ait: leges siue legitima populorum uana sunt. omnem humanam sapientiam futilem esse demonstrat et nullam in se habere utilitatem.

Quia lignum de saltu praecidit opus manuum artificis in ascia; argento et auro decorauit illud, clauis et malleis conpegit, ut non dissoluatur siue non moueatur— . in similitudinem palmae fabricata sunt et non loquentur; portata tollentur, quia incedere non ualent. nolite ergo timere ea, quia nec male facere possunt nec bene.

Descriptio idolorum, quae uenerantur gentes. lignum, inquit, de saltu praecidit — materia ergo idolorum uilis et corruptibilis — opus manuum artificis — cum artifex mortalis sit, mortalia ergo et illa, quae fabricatur — ; argento et auro decorauit illud, ut fulgore utriusque materiae decipiat simplices. qui quidem error ad nos usque transiuit, ut religionem in diuitiis arbitremur.

clauis et malleis conpegit, ut non dissoluatur sine u t non moueatur. quanta idolorum potentia, quae stare per se nequeunt, nisi clauis et malleis conpingantur? in simili. tudinem palmae fabricata habent pulchritudinem metallorum et picturae arte decorata sunt, sed utilitatem non possident, quae praebeant aliquos fructus artifici.

et non loquentur — nihil enim in se uitale habent, de quibus scriptum est: os habent et non loquentur; aures habent et non audient -; portata tollentur. fortior ille, qui portat, quam illa, quae portantur; immo in illo sensus est, in hoc figura sine sensu.

nolite ergo timere ea, quia nec bene possunt facere nec male. solent enim plerique gentilium daemones colere, ne noceant, et alios exorare, ut praestent beneficia; unde et illud Uergilianum est: nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam. quidquid de idolis diximus, ad omnia dogmata, quae sunt contraria ueritati, referri potest.

et ipsi enim ingentia pollicentur et simulacrum uani cultus de suo corde confingunt; iactant grandia et ad decipiendos simplices quosque quasi aureis sensibus et eloquiis argenti splendore fulgentibus inperitorum obstringunt aciem et a suis inuentoribus sublimantur, in quibus nulla est utilitas et quorum cultura proprie gentium est et eorum, qui ignorant deum.

Non est similis tui, domine; magnus tu et magnum nomen tuum in fortitudine. quis non timebit te, o rex gentium? tuum est enim decus, inter cunctos sapientes gentium et in uniuersis regnis eorum nullus est similis tui. pariter sapientes ei fatui probabuntur;

doctrina uanitatis eorum lignum est: argentum inuolutum — siue productum — de Tharsis affertur et aurum de Ophax, opus artificis et manus aerarii; hyacinthus et purpura indumentum eorum; opus artificum — siue sapientium — uniuersa haec. dominus autem deus uerus est; iste deus uiuens et rex sempiternus. ab indignatione eius commouebitur terra et non sustinebunt gentes com- minationem eius.

Haec in LXX non habentur, sed de Theoaotionis editione in plerisque addita sunt et, cum iuxta litteram uideantur perspicua, iuxta ἀναγωγὴν magnam habent difficul-

tatem. nullus enim similis est deo uero eorum deorum, qui heretica arte finguntur. omnes timebunt eum. qui rex gentium est; principium enim sapientiae timor domini et de eo proficimus ad caritatem. tuum est.

inquit, decus; in ueritate decor, m mendacio turpitudo. quamuis heretici iuxta sapientiam mundi, quae destruitur, sibi sapientes esse uideantur, tamen in omnibus regnis, quibus lacerant ecclesiam, nullus est similis tui dicente sermone diuino: perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo.

simul sapientes et fatui sunt; doctrina eorum pro qualitate ingenii uel uilis est et ligno conparatur uel similis argento propter eloquii uenustatem; affertur de Tharsis — uel Indiae regio est, ut uult Iosephus, uel certe omne pelagus Tharsis appellatur et caeli habet similitudinem — et tamen inuoluta est uerborum artificio; si enim patuerit, decipere non poterit. et aurum de Ophaz.

septem nominibus apud Hebraeos appellatur aurum, quorum unum \'ophaz\' dicitur, quod nos dicere possumus \'obryzum\', ut splendeat in superficie idolorum, quod intrinsecus lignum est uilisque materiae. hyacintho operiuntur et purpura, ut superficie sui oculos decipiant, dum caelorum sibi colorem et regna caelestia pollicentur; et tamen opera sapientum sunt uniuersa haec, qui in saeculo sapientes putantur, ceterum apud deum stulti sunt.

dominus autem deus noster deus uerus est - illa ergo uniuersa mendacia - et ipse deus uiuens - igitur illa mortua, quae finguntur, - et rex sempiternus - hereticorum umbrae ad tempus praeualent, sed longo tempore corrumpuntur — ; ab indignatione eius commouebitur terra - hi, qui terrena habent opera et terrena simulacra confingunt, - et non sustinebunt gentes, nequaquam populus domini, sed gentium multitudo, quae dei comminationem ferre non praeualent.

Sic ergo dicetis eis: di, qui caelos et terram. non fecerunt, pereant de terra et de his, quae subb caelo sunt! Falsis dis et, qui artificio reconpositi sunt, ista dicenda sunt - illi enim nec caelos fecere nec terram -, quaeque cooperatores Christi, qui dei uocantur et domini, per doctrinam ecclesiasticam magna ex parte fabricantur.

Dominus. qui facit - siue fecit - terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua et prudentia sua extendit caelos. ad uocem suam dat multitudinem aquarum in caelo et eleuat — siue educit - nebulas ab extremis terrae, fulgura in pluuiam fecit et educit uentum — siue uentos — de thesauris sius.

stultus factus est omnis homo a srientia, confusus est omnis artifex in sculptili, quoniam falsum est, quod conflauit. et non est spiritus in eis. uana sunt et opera risu digna; in tempore uisitationis suae peribunt. non est similis (his) pars Iacob; qui enim formauit omnia, ipse est et Israhel uirga hereditatis eius; dominus exercituum nomen est illi.

Qui facit terram in fortitudine sua, deus pater est. facit autem in fortitudine sua, domino saluatore; Christus enim dei uirtus et dei sapientia. qui ipse est et prudentia, in quo extendit caelum. ipse enim dixit et facta sunt; ipse mandauit et creata sunt, loquens ad filium: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: ad uocem suam dat multitudinem aquarum in caelo.

omnis enim doctrina domini de caelestibus fluit dicente Dauid: pluuiam uoluntariam segregabis, deus, hereditati tuae et infirmata est; tu uero perfecisti eam. et - eleuat — siue educit - nebulas ab extremis terrae. nebulae siue nubes, quibus mandauit dominus, ne pluerent super Israhel imbrem, educuntur ab extremitatibus terrae. quorum una nebula loquebatur: puto enim, nos deus apostolos ostendit nouissimos tamquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus huic mundo et angelis et hominibus.

fulgura in pluuiam fecit. cum enim imber de caelo uenerit doctrinarum et arentia hominum corda satiarit, tunc coruscationes inuenies et clara fulgura sapientiae. et educit uentos de thesauris suis, in quibus sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. stultus factus est omnis homo a scientia. licet ille Paulus, licet Petrus, licet Moses et Abraham sint, ad conparationem dei cuncta eorum sapientia in nihilum deputabitur; unde et fatuum dei sapientius est hominibus.

confusus est omnis artifex in sculptili, qui de suo corde simulacra confinxit, falsumque est, quod conflauit. si autem stultus est omnis homo a scientia. stultum est omne falsumque, quod fecit. et non est spiritus in eis. notandum, quod et in isto capitulo \'uentus\' et \'spiritus\' uno nomine apud Hebraeos appellatur \'ruha\'; spiritum autem sanctificationis uocat, qui in hereticorum mentibus non potest inueniri.

uana sunt et opus risu dignum. quis enim non rideat, cum hereticorum simulacra perspexerit? aut enim rustica sunt, quae dicuntur, et lignum est; ant pulchro sermone con-. posita, et repperitur argentum; aut certe de proprio simulata sensu, et frustra auri imaginem pollicentur. in tempore uisitationis suae peribunt. ad tempus ualet heresis, ut electi quique manifesti fiant et probati sint: cum autem uisitatio dei uenerit et oculus eius stulta respexerit, omnia conticescunt. non est his similis pars Iacob, eorum.

qui supplantauere Iudaeos et cotidie destruunt hereticos. pars autem sanctorum deus est, de quo propheta dicit: pars mea dominus. qui enim formauit omnia, ipse est, qui fecit omnia atque plasmauit tam in animo quam in corpore, et Israhel uirga hereditatis eius est. omnis, qui directus in deo est uel sensu cernit deum, sceptrum est hereditatis eius, cuius nomen \'dominus omnipotens\' est siue uirtutum\'; hoc enim sonat \'dominus exercituum\', quod in Hebraico scriptum est \'dominus sabaoth\'.

Congrega de terra confusionem tuam, quae habitas in obsidione, quia haec dicit dominus: ecce ego longe proiciam habitatores terrae in hac uice et tribulabo eos, ut inueniantur. LXX: congregauit de foris substantiam suam, quae habitat in munitione, quia haec dicit dominus: ecce ego supplantabo habitatores terrae huius et tribulabo eos, ut inueniantur.

Praecipitur Hierusalem, ut, quicquid habet foris substantiae, in urbem munitissimam congreget et longae obsidioni paret alimenta; se enim nequaquam ut prius de futuro et longo tempore comminari, sed iam de uicina captiuitate, quae iam iamque uentura sit. \'congrega\', inquit, <et de foris et de terra, hoc est ei agris, substantiam tuam in confusionem.

quidquid enim habes, confusione dignum est; quae licet praepares, haec super his domini dicta cognosce: ecce ego in hac uice, in isto tempore, proiciam siue instar fundae iaciam longe habitatores terrae huius\'. pro quo Septuaginta interpretati sunt: supplantabo et cadere faciam, pro quo uerbo Hebraico, id est \'cole\', Aquila et Symmachus interpretati sunt σφενδονίσω et est sensus: \'instar fundae cum omni impetu abiciam et sic eos obsideri faciam sicque tribulabo et coangustabo, ut omnes in urbe repperiantur et effugere nequeant malum\'.

Uae mihi super contritione mea, pessima plaga mea! LXX: uae super contritione tua, pessima plaga tua! Iuxta Hebraicum ipsa Hierusalem loquitur, quod uehementer afflicta sit et plagam sustineat insanabilem; iuxta LXX uero propheta loquitur ad Hierusalem et plangit eam super contritione et plaga sui.

Ego autem diri: plane haec infirmitas mea est — siue uulnus meum — et portabo illam siue apprehendit me. Ipsa loquitur Hierusalem: quicquid patior, mea culpa patior; intellego uulnus meum, quod apprehendit me, siue iram domini sustinebo, quoniam peccaui ei\'.

Tabernaculum meum statutum est, Omnes funiculi me dirrupti sunt - siue omnes pelles meae conscissae sunt —, filii mei exierunt a me - siue oues meae - et non sunt; non est, qui extendat ultra tentorium meum - siue non est locus ultra tabernaculo meo - et qui erigat pelles meas.

Subuersionem urbis suae tam facilem plangit Hierusalem, ut nequaquam muros et omnia moenia funditus eruta, sed tabernaculi atque tentorii ablationem putes. \'tabernaculum\', inquit, (hoc est habitatio mea, repente sublata est. omnes funiculi mei dirrupti sunt - seruat tabernaculi μεταφοράν - siue omnes pelles meae conscissae sunt.

filii mei exierunt a me siue pecora mei\', quod a LXX additum non stat iuxta historiam; in longa enim obsidione quomodo oues et pecora auferri poterant de Hierusalem, quae, etiamsi fuissent, fames consumserat? <et non\', inquit, \'subsistunt siue non sunt\'; neque enim translati sunt in Chaldaeam, sed magna pars

eorum interfecta penitusque deleta est. \'non est, qui extendat ultra tentorium meum. non est, qui me instauret et murorum meorum iaciat fundamenta, qui ad solum usque prostrati sunt\'.

Quia stulte egerunt pastores et dominum non quaesierunt, propterea non intellexerunt et omnis grex eorum dispersus est. Per translationem pastorum atque ouium principum culpa et dispersio populi describitur. quia enim principes stulte egerunt nec quaesierunt dominum, quem toto debuerant corde perquirere, idcirco et mala uenientia non uiderunt siue non intellexerunt dominum et omnis multitudo Hierusalem huc illucque dispersa est.

Uox auditionis ecce uenit et commotio magna de terra aquilonis, ut ponat ciuitates Iuda in solitudinem et habitaculum draconum - siue cubile struthionum et, ut Symmachus interpretatus est sirenarum —, pro quo in Hebraico \'thannim\' positum est.

Uerba prope \'ecce\', inquit, \'sonitus et fremitus Babylonii uenientis auditur magnaque commotio siue terrae motus de terra aquilonis, ut omnes urbes Iudaeae habitatoribus interfectis redigat in solitudinem et faciat pro hominibus dracones habitare et cuncta uenenata animantia siue struthiones\', quod et ipsum animal solitudinis familiare est et in desertis nascitur ac nutritur; aut certe sirenas, monstra quaedam et daemonum phantasmata, possumus intellegere.

haec omnia, quae et praeteritus et praesens sermo descripsit, ad persecutionis ecclesiae referamus tempora, quando tabernacula domini subuertuntur et omnis habitatio ecclesiae redigitur in solitudinem. et ut ista uniuersa eueniant, culpa pastorum est, qui stulte egerunt e t dominum non quaesierunt nec intellexerunt eum: et idcirco grex omnis dispersus est.

Scio. domine. quia non sit hominis uia eius, nec uiri est, ut ambulet et dirigat gressus suos. Erubescant noui praedicatores. qui aiunt unumquemque suo arbitrio regi, cum et hic propheta dicat: non est hominis uia eius, et Dauid in lyrico canat carmine: a domino gressus hominis dirigentur et uiam eius uolet nimis is. siue hic sensus est: <quod a Babyloniis sustinemus. non est eorum formidinis, sed nostri meriti et indignationis tuae\'.

Corripe me, domine: uerumtamen in indicio et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me! effunde indignationem tuam super gentes, quae non cognouerunt te, et super prouincias - siue generationes —, quae nomen tuum non inuocauerunt, quia deuorauerunt Iacob et locum eius consumserunt et decus eius - uel pascua - dissipauerunt siue ad solitudinem redegerunt.

Hunc locum in Psalmo legimus: domine, ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me! et est sensus: \'meremur quidem omnia, quae sustinemus, et multo meremur maiora quam patimur, uerumtamen hoc obsecro, ut quasi pater me

corripias, non quasi aduersarius, ut me emendes quasi filium et non punias quasi inimicum: castigas enim omnem filium, quem recipis, et per omnem dolorem ac flagellum emendas Hierusalem.

hostes autem. qui non nouerunt te. et prouinciae siue regiones, quae non inuocauerunt nomen tuum, nequaquam tuum debent sentire iudicium, sed indignationem. tradidisti enim nos, ut emendaremur. illi autem aggrauauerunt iugum suum; seni non pepercerunt et paruulos adflixerunt, comederunt nos et penitus deuorarunt et -in tantam solitudinem redegerunt Hierusalem, ut et publicarum et priuatarum aedium omnia dissiparent et populum tuum interficerent\'.

Uerbum, quod factum est ad Hieremiam a domino dicens: audite uerba pacti -siue testamenti-huius et loquimini ad uiros Iuda et habitatores Hierusalem et dices ad eos: haec dicit dominus deus Israhel. Non quidem est positum in titulo, sub quo tempore uel sub quo rege et quoto anno eius haec prophetia facta sit; sed intellegimus uel priori prophetiae et tempori haec esse iungenda uel certe post aliquod temporis interuallum prioris prophetiae hunc domini ad prophetam factum esse sermonem.

notandum est autem. quod uerbum \'berith\' Aquila et Symmachus semper \'pactum\', LXX et Theodotio \'testamentum\' interpretati sint. proprie autem nunc ad Hierusalem et ad uiros tribus Indae sermo dirigitur.

Maledictus uir, qui non audierit uerba pacti huius, quod praecepi patribus uestris in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea, dicens: audite uocem meam et facite omnia, quae praecipio uobis, et eritis mihi in populum et ego ero uobis in dominum.

Non propter genens priuilegia, non propter circumcisionis iniuriam et otium sabbati, sed propter oboedientiam et deus efficitur populi Israhel et Israhel populus eius. et hic quidem quasi ad seruos loquitur, ut placeant deo; in euangelio uero dominus ad discipulos: uos, inquit, amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio uobis. iam non dico uos seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius. uos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audiui a patre meo, nota feci uobis.

cnmque amici fuerint, de amicis transeunt in filios; quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. unde amicis et filiis praecipit: estote perfecti, sicut pater uester perfectus est, similitudinem imperans, non aequalitatem. et ibi oboedientia mandatorum est, hic similitudo dei. quodque ait: in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea, dat nobis intellegentiam, quod caminus et fornax ferrea atque succensa tribulationis et poenae significet magnitudinem, non aliquem poenae locum ferri materia praeparatum.

Ut suscitem iuramentum, quod iuraui patribus uestris, daturum me eis terram fluentem lacte et melle, sicut est dies haec. Patres uidentur accipere, Quando accipiunt filii, et Abrahae repromissio conpletur in posteris.

terram autem lacte et melle manantem hyperbolice debemus accipere pro rerum omnium abundantia, ut est illud: mella fluant illis, ferat et rubus asper amomum, et iterum: et passim riuis currentia uina repressit; aut certe tropologice terram lacte et melle manantem Christi ecclesiam sentiamus, in qua paruuli atque lactantes educamur per fidem, ut possimus solidum cibum capere.

Et respondi et dixi: omen, domine, pro quo LXX: fiat, domine - hoc enim \'omen\' significat - transtulerunt. Dixerat dominus: iuraui patribus uestris daturum me eis terram laete et melle manantem, sicut rebus ipsis hodie conprobatur. propheta diligens populum suum occupat uocem domini et cupit uera esse et in perpetuum permanere, quae data sunt. unde ait: \'uere, domine. implesti, quod pollicitus es, siue fiat, domine, hoc est: semper maneat, quod dedisti!\'

Et dixit dominus ad me : uociferare - uel lege — omnia uerba haec in ciuitatibus Iuda et foris Hierusalem dicens : audite uerba pacti huius e t facite illa! Clementissimus deus frequenter uentura praedicit, ut tandem durus ad credendum animus molliatur. praedicit autem tam in urbe Hierusalem quam foris in agro, ut, quorum commune discrimen est, eadem paenitudo sit.

Quia contestans contestatus sum patres uestros in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, usque ad diem hanc; mane surgens contestatus sum et dixi: audite uocem meam! et non audierunt nec inclinauerunt aurem suam, sed abierunt unusquisque in prauitate cordis sui mali; et induxi super eos omnia uerba pacti huius, quod praecepi, ut facer ent.

Hucusque in LXX non habetur, quodque sequitur: et non fecerunt, ab eis positum est et cum superioris capituli fine sociatum. in quo scriptum est: audite uerba pacti huius et facite illa! et non fecerunt. quid sit autem de mane consurgere et dei uerba per prophetas eis frequenter ingerere et educere eos de Aegypto et saepius ammonere et dicere: audite uocem meam. et illos abisse post prauitatem cordis sui et postea eis reddere, quae merentur accipere, ante iam diximus.

Et di.rit dominus us ad me: inuenta est coniuratio in uiris Iuda et in habitatoribus Hierusalem. reuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire uerba mea; et hi ergo abierunt post deos alienos, ut seruirent eis. irritum fecerunt domus Israhel et domus Iuda pactum meum. quod pepigi cum patribus eorum.

Pro \'coniuratione\', Quam nos iuxta Symmachum interpretati sumus, Aquila et LXX et Theodotio σόνδεσμον transtulerunt, quam nos \'colligationem\' possumus dicere. unde et Otholia,

cum in templo sibi parari insidias deprehendisset, eodem uerbo locuta est: coniuratio, coniuratio. proprie autem hoc uerbo scriptura abutitur, quando non subito fortuitoque peccato. sed praeparatis insidiis et coniuratione tenditur ad delictum et pari mente unoque studio id agunt, ut dei mandata contemnant. dicitque et patres et filios una mente parique sententia neglecto deo idola ueneratos. tam Israhel uidelicet quam domum luda, hoc est tam decem tribus quam duas. quarum imperium erat in Hierusalem, ut, quorum in contemtu dei unum studium fuit, par sit in sustinenda captiuitate supplicium.

Quamobrem haec dicit dominus: ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt; et clamabunt ad me et non exaudiam eos. et ibunt ciuitates luda et habitatores Hierusalem et clamabunt ad deos, quibus libant; et non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum.

Non exaudit deus in tempore necessitatis et angustiae, quia et illi audire uocem domini noluerunt. quod et Saul passus est; cum enim Philistiim agmina reformidans uerbum domini non meruisset accipere, conuersus est ad pythonissam, ut ab idolis disceret, quod instantia orationis ac fletuum a domino debuit extorquere.

per quae discimus, etiamsi dominus non exaudient, nequaquam esse cessandum nec confugiendum ad daemonas. qui cultores suos adiuuare non possunt, sed ad domini auxilium, qui cito iratus flectitur et mutat sententiam, si et hi, quibus iratus fuerit, commutentur. totum autem, nunc quod dicitur, ad tribum Iuda pertinet et urbem Hierusalem; quibus instat captiuitas.

Secundum numerum enim ciuitatum m tuarum erant di tui, Iuda, et secundum numerum uiarum Hierusalem posuistis aras confusionis ad libandum Bahalim. Legamus Regum et Paralipomenon libros et inueniemus ludam et Hierusalem multo quam Israhel peiora fecisse, ut, quot habebant urbes, tot haberent et idolorum species et. quot erant in urbe Hierusalem plateae et uiarum capita, tot haberent aras in confusionem suam, in quibus idolis Bahalim uictimas immolarent.

Tu ergo noli orare pro populo hoc et ne assumas pro eis laudem et orationem. quia non exaudiam in tempore clamoris m oris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum! Praecipitur Hieremiae, ne uelit pro eis dominum deprecari, in quos iam est consummata sententia, ne uideatur oratio eius infirma et propriis sceleribus non exaudiri.

\'noli\', inquit, \'orare pro eis nec laudem assumere, ut replicando ueteris historiae clementiam, qua semper ei misertus sum, et laudando meam nitaris mutare sententiam! etsi enim hoc feceris, non exaudiam eos, qui me necessitatis tempore rogare coguntur\'. ex quibus discimus frustra aliquem rogare pro alio, cum ille non mereatur accipere, pro quo rogatur deus.

Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata e s? oliuam uberem, pulchram, fructiferam, speciosa uocauit dominus nomen tuum; ad uocem loquelae grandis exarsit ignis in ea et combusta sunt frutecta eius.

Dilectum et amantissimum uocat\' populum Iuda, qui in templo eius posuit et ueneratus est idola et in eo se putat iram placare dei, si multas hostias immolet, et gloriatur in sacrificiorum multitudine, quae malitias peccatorum auferre non possunt.

comparat autem Hierusalem siue omnem populum Iudaeorum oliuae pulchrae atque fructiferae, quae exaltata per superbiam nequaquam egit humiliter nec intellexit creatorem et dominatorem suum, sed elata per superbiam et locuta granditer domini igne succensa est, ita ut conburerentur et redigerentur ad nihilum rami siue frutecta eius, id est omnis populus aduersariorum gladio deleretur.

hic sensus et in alio loco est, ubi dicitur ad Hierusalem: ego te plantaui uineam frugiferam, omnem ueram; quomodo conuersa es in amaritudinem uitis aliena? quando destruuntur maceriae illius et uastat eam aper de silua et omnes bestiae deuorant fructus illius, dicamus istud capitulum principibus ecclesiarum: quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? uel certe diuitibus, qui, cum aliena diripiant et non auferant malitias cordis sui, putant se dei mereri clementiam: numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? at nunc publice recitantur offerentium nomina et redemtio peccatorum mutatur in laudem nec meminerunt uiduae illius in euangelio, quae in gazophylacium duo aera mittendo omnium diuitum uicit donaria.

Et dominus exercituum, qui plantauit te. locutus est super te malum pro malis domus Israhel et domus Iuda, quae fecerunt sibi ad irritandum me libantes Bahalim. \'Oliuam\', inquit, uberem.

pulchram, fructiferam te uocauit dominus tuus atque plantauit; sed quia ad uocem loquelae grandis dei in te flamma descendit et consumsit omnes ramos tuos, propterea, qui te plantauerat, nunc locutus est super te malum non iniquitate sententiae nec subita prauitate sermonis, sed pro malis, quae fecerunt sibi domus Israhel et domus Iuda et studiose egerunt libantes Bahalim, ut me ad iracundiam prouocarent\'. cumque possit deus facere, quae uult, reddit causas, ne facere uideatur iniuste, secundum illud, quod scriptum est: ut iustificeris in sermonibus tuis et uincas, cum iudicaris.

Tu autem, domine, demonstrasti mihi et cognoui; tunc ostendisti mihi studia eorum. et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam, ei non eognoui, quia super me cogitauerunt consilia: mittamus lignum i n panem eius et conteramus eum de terra uiuentium et non memoretur nomen eius amplius! tu autem, domine sabaoth,

qui indicas iuste et probas renes et cor, uideam ultionem tuam ex eis! tibi enim reuelaui causam meam.

Omnium ecclesiarum iste consensus est, ut sub persona Hieremiae a Christo haec dici intellegant, quod pater ei monstrauerit, quomodo eum oporteat loqui, et ostenderit illi studia Iudaeorum et ipse quasi agnus ductus ad uictimam non aperuerit os suum et non cognouerit — subauditur \'peccatum> iuxta illud, quod ab apostolo dicitur: qui, cum non cognouisset peccatum, pro nobis peccatum factus est —, et dixerint: mittamus lignum in panem eius — crucem uidelicet in corpus saluatoris; ipse est enim, qui ait: ego sum panis, quide caelo descendi, — et eradicemus — sine conteramus — eum de terra uiuentium!

hoc enim scelus animo cogitarunt, ut nomen eius delerent in perpetuam. sed e contrario iuxta assumti corporis sacramentum loquitur filius ad patrem et inprecatur iudicium eius, dum laudat iustitiam et inspectorem renis et cordis inuocat deum, ut ipse reddat populo, quod meretur, et dicit: uideam ultionem tuam ei eis — eorum uidelicet, qui in scelere perseuerant, et non eorum, qui uertuntur ad paenitentiam; de illis ait in cruce: pater, ignosce eis; quod enim faciunt, nesciunt —, reuelatque patri et aperit causam suam, quia nullo suo merito, sed scelere populi crucifixus est dicens: ecce uenit princeps mundi huius et inuenit in me nihil.

Iudaei et nostri iudaizantes haec ex persona Hieremiae dici intellegunt, qui propter uaticinium futurorum et ingruentia captiuitatis mala haec eum a populo sustinuisse confirmant. sed nescio, quomodo possint approbare crucifixum esse Hieremiam, cum hoc scriptura non memoret, nisi forte cogitauerint et non fecerint.

Propterea haec dicit dominus ad uuiros Anathoth, qui quaerunt animam tuam et dicunt: non prophetabis in nomine domini et non morieris in manibus nostris. propterea haec dicit dominus exercituum: ecce ego uisitabo super eos; iuuenes morientur in gladio, filii eorum et filiae eorum morientur in fame et reliquiae non erunt ex eis; inducam enim malum superuiros Anathot h, annum uisitationis eorum.

Uidetur hoc superiori sententiae contraire, qua uolumus approbare ex persona Christi dicta esse, quae dicta sunt, et non ex Hieremiae, qui proprie habitabat in uiculo Anathoth, qui ab Hierosolymis tribus distat milibus. sed si intellexerimus ἐτυμολογίαν oppidi Anathoth, quod interpretatur \'oboedientia\', liquido demonstrabitur uiros Anathoth, qui quondam praeceptis domini obtemperarunt, omnes dici Iudaeos, et maxime habitatores urbis Hierusalem, in quos uenit extrema sententia, ut obsidionis malis, gladio et fame et peste interirent.

ut autem nos omni interpretationis molestia liberemus, illam sequamur regulam, quod omnes prophetae in typum domini saluatoris pleraque gesserint et, quicquid iuxta praesens tempus conpletum sit in Hieremia, hoc in futurum de domino prophetari.

Liber Tertius

Lerneum anguem fabulae ferunt multis ex medio capite pullulasse serpentibus et Scyllam, Siculi monstrum freti, facie quidem uirginali, sed succinctam canibus miserorum lacerasse naufragia iuncto in eodem litore Sirenarum mortifero carmine, quae ut uitaret Ulixes Homericus, clausisse aures dicitur et malum inexsuperabile prudenti uitasse consilio.

hoc ego cum facere cuperem et hereticorum rabiem declinare iuxta Ismenium poetam mihi canens et meis illudque propheticum reuoluerem: cum consisteret aduersum me peccator. ommutui et silui de bonis, non est passus diabolus me optata quiete contentum scripturarum sanctarum explanationi insistere et hominibus linguae meae Hebraeorum Graecorumque eruditionem tradere, sed id agit diebus et noctibus et aperte et per insidias ueris falsa miscendo, immo uniuersa mendacia subdolo melle circumlinens, ut, qui audit uerborum dulcedinem, uenena pectoris non formidet; pacem pollicetur, ut grauiora bella exerceat; ridet, ut mordeat; manum offert, ut ex inprouiso simplicem interficiat Abenner.

nimirum hoc illud est, quod et apostolus loquebatur: non enim eius ignoramus astutias. hic tacet, alibi criminatur, mittit in uniuersum orbem epistulas byblinas, prius auriferas, nunc maledicas, et patientiam nostram de Christi humilitate uenientem malae conscientiae signum interpretatur. ipseque mutus latrat per Alpinum canem, grandem et corpulentum et, qui calcibus magis possit saeuire quam dentibus.

habet enim progemem Scotticae gentis de Brittannorum uicinia, qui iuxta fabulas poetarum instar Cerberi spiritali percutiendus est claua, ut aeterno cum suo magistro Plutone silentio conticescat. uerum haec alias. nunc in Hieremiam tertium aggrediar librum, in quo conabor, frater Eusebi, latissimos explanationis campos angusta commentariorum semita coartare.

Iustus quidem es, domine, si disputem tecum — siue quia satisfaciam tibi—; uerumtamen indicia loquar ad te: quid est, q quod u ia impiorum prosperatur, bene est omni bus, qui praeuaricantur et inique agunt? plantasti eos et radicem miserunt, proficiunt — siue generauerunt filios — et faciunt fructum; prope es tu ori eorum et longe a renibus eorum. Contra omnes quidem inique agentes ista disputatio est et

septuagesimi secundi psalmi breuiter sententia conprehenditur, in qua propheta ait: quam bonus deus Israhel his, qui recto sunt corde! mei autem paene moti sunt pedes, paene effusi sunt gressus mei, quia zelaui in peccatoribus pacem peccatorum uidens et cetera. sed proprie contra hereticos dicitur, qui cum sint impii, uia eorum prosperatur generantque filios eos, quos in heresi deceperunt, et praeuaricantur et inique agunt, ita ut ecclesiam spolient et. dum in prauitate sententiae perseuerant, iactent se a deo esse plantatos et radicem misisse, generasse filios et attulisse fructum; qui, cum Christi nomen saepius replicent, habitatorem sui non habent deum iuxta illud Isaiae: populus hic labiis me honorat, cor uero eius longe est a me.

Et tu, domine, nosti me, uidisti me et probasti cor meum tecum. congrega eos quasi gregem ad uictimam et sanctifica eos in die occisionis! \'Nullum\', inquit, (scandalum est, quod impii siue omnes heretici pro tempore floreant; tu enim, domine, nosti me et uidisti me et probasti cor meum tecum\'.

quem ita nouit pater deus quomodo filium suum? nemo enim cognoscit filium nisi pater et nemo cognoscit patrem nisi filius et. cui uoluerit filius reuelare. \'licet\', inquit, \'proficiant, licet filios generent et faciant fructum heretici et prope sis tu ori eorum et longe a renibus eorum, id est conscientia, tamen non parua est consolatio, quod -quasi pecora saginantur ad uictimam.

congregas eos in urbem Hierusalem siue in sua conciliabula, ut quasi uictimae caedantur in mortem et tunc sanctificentur, cum ecclesiastico fuerint mucrone iugulati; interfectio enim hereticorum salus eorum est. qui decepti fuerant\'.

Usquequo lugebit terra et herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? consumtum est animal et noluere, quoniam dixerunt: non uidebit nouissima nostra siue non uidebit deus uias nostras. Quicquid in mundo uel bonorum accidit uel malorum, non absque prouidentia et fortuito casu accidit. sed indicio dei. terra nunc sterilis est, herba siccatur: uis nosse rationem? malitiae habitatorum eius hoc faciunt, ita ut et animalia super terram et caeli uolatilia consumantur, quia in usus hominum haec creata sunt omnia. qui in tantam consurrexere blasphemiam, ut dicerent deum ignorare uias suas et nescire, quid unusquis25 que passurus sit. quod autem dicit \'usquequo\', illud significat permanere iram dei, quia animus peccantium non mutetur.

Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis? si in terra pacis confisa es, quid facies in superbia — siue fremitu — Iordanis? \'Si\', inquit, \'crebra te uicinarum gentium captiuitas fatigauit, Moabitarum et Ammanitarum, Philistiim et Idumaeorum, quid facies ad longam captiuitatem, quae te Chaldaeam usque ductura est?\' et conparat pedites equitibus, quia re uera et iuxta historiam omnis Persis et uniuersa

Chaldaea et regionum illarum exercitus gaudet equitatu. istae autem gentes, quas supra memoraui, propter difficultatem locorum non tam pugnae aptae sunt quam latrocinio. seruatque μεταφορὰν et dicit: (si cum peditibus currens lassitudine defecisti, quid facies, si equis cursum tuum uolueris coaequare? et si in terra tua aliquam habuisti fiduciam, quid actura es, cum Iordanen transieris et illius gurgites sustinueris?\'

Nam et fratres tui et domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersum te et clamauerunt post te plena uoce; ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona! \'In tantum\', inquit, \'grauissimis Iordanis. operiere fluctibus et equitum te de longe uenientium multitudo uastabit, ut fratres quoque tui, Idumaei, et domus patris tui, qui de Lot stirpe generati sunt, Moab et Ammon, etiam ipsi tempore necessitatis et angustiae dimicent contra te et insultent tibi.

unde cane, ne uelis eis credere et spem habere consanguinitatis, per quam maiore in te quam hostes odio desaeuiant\'. potest hoc et de saluatore accipi. quod fratres eius et domus patris illius pugnauerint contra eum et clamauerint uoce plena dicentes: crucifige, crucifige eum; non habemus regem nisi Caesarem.

Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam mea m in manu inimicorum eius. facta est mihi hereditas mea quasi leo in silua; dedit contra me uocem, ideo odiui eam. Qui in euangelio locutus est: surgite, abeamus hinc, et iterum: relinquetur uobis domus uestra deserta, hic etiam in propheta eadem comminatur et, quod facturus est, fecisse se dicit. hereditas enim domini est Israhel et funiculus hereditatis eius.

quod autem ait: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius, illud est: potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo resumendi illum. facta est autem hereditas quondam domini populus Iudaeorum contra eum quasi leo in silua, quando pari aduersum illum in passione uoce clamauit. et quia dedit contra eum uocem suam, ideo eam odio habuit et abiecit et, quae quondam fuit dilecta atque carissima. nunc appellatur odiosa.

Numquid auis d discolor herecu tas s mea mihi? numquid ciuis tincta per totum? uenite, congregamini, omnes bestiae terrae, properate ad deuorandum ! LXX: numquid spelunca hyaenae hereditas mea mihi? an spelunca in circuitu eius super eam? pergite, congregate omnes bestias agri et

ueniant, ut comedant eamf Auem discolorem tinctamque per totum iuxta litteram pauum uocat. \'tantam\', inquit, \'habuit pulchritudinem Israhel et tantis fuit Hierusalem distincta uirtutibus, ut nihil esset bonorum, quod non cerneretur in ea. quia igitur mihi facta est hereditas quondam mea, id est populus Israhel, quasi leo in silua et dedit contra me uocem suam et eam omni odio detestatus sum, idcirco uenite et congregamini contra eam, omnes bestiae terrae, diuersarum gentium multitudo, et deuorate eam, quae suum dominum non cognouit!\' sin autem.

ut LXX et alii interpretes transtulerunt, legitur: numquid spelunca hyaenae hereditas mea mihi?, referamus ad immunditiam nocturnae bestiae, quae uiuit cadaueribus mortuorum et de sepulchris solet effodere corpora nihilque est immunditiae, quo non uescatur. talis est Israhel offendens dominum suum et omnium bestiarum morsibus traditus.

Pastores multi demoliti sunt — siue corruperunt — uineam meam, conculcauerunt — siue polluerunt - partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis — siue inuiam —. posuerunt eam — uel posita est in dissipationem luxitque super me siue periit.

Audiant haec, qui principes cupiunt esse populorum et non solum pro se, sed et pro commissis sibi gregibus reddituri sunt rationem in die iudicii; propter illos enim pars domini conculcatur atque polluitur, ut, ubi quondam dei erat hospitium, ibi sit habitaculum bestiarum. alii uero non praepositos plebis et sacerdotes, sed hostium intellegunt principes, qui Hierusalem, hoc est uineam domini, dissiparunt.

Luxitque super me; desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est. qui recogitet corde. super omnes uias deserti uenerunt uastatores, quia gladius domini deuorauit ab extremo terrae usque ad extremum eius; non est pax uniuersae carni. LXX: propter me dissipatione dissipata est terra et reliqua.

Hoc, quod posuimus: luxitque superme iuxta Hebraicum priori uersiculo copulatur, ut sit: posuerunt eam in dissipationem, hoc est hereditatem meam, luxitque super me meo auxilio destituta. iuxta LXX uero loquitur deus, quod propter illum terra sit dissipata et redacta in solitudinem, quia nullus sit, qui corde recogitet, nec ulla pax uniuersae carni. neque enim pacem dei potest caro recipere: sapientia enim carnis inimica est deo et, qui in carne sunt, deo placere non possunt.

porro iuxta Hebraicum ideo Iudaea omnis est desolata, quia nullus est, qui corde recogitet deum, nec residuus, qui possit euadere. per omnes enim uias solitudinis uenerunt uastatores, id est hostilis exercitus, et gladius domini deuorauit a termino usque ad terminum nec requies ulla fuit de urbe fugientibus. unde dicitur: non est pax uniuersae carni.

Seminauerunt triticum et spinas messuerunt; hereditatem acceperunt et non eis proderit. LXX: seminastis triticum et spinas messuistis ; cleri eorum non proderunt eis. \'Meliora\', inquit, \'exspectauerunt et uenerunt pessima, sperabant prospera et aduersa perpessi sunt, acceperunt a domino rerum omnium abundantiam, quae eis non proderit\'.

iuxta LXX nero omnes heretici quasi triticum seminant et spinas metunt exspectante domino, ut facerent fructum; et non fecerunt iudicium, sed clamorem. dicitur autem hoc et ecclesiasticis, qui uerba domini et doctrinam eius mala conuersatione disperdunt, de quibus infertur: cleri eorum non proderunt eis; quid enim

eos iuuare poterit episcopi nomen et presbyteri uel reliquus ordo ecclesiasticus, cum magis grauentur dignitatibus suis et potentes potenter tormenta patiantur et. quanto amplius eis creditum fuerit, tanto plus requiratur ab eis?

Confundimini a fructibus — siue a gloriatione uestra - propter iram furoris domini — sine ab opprobrio in conspectu domini —. haec dicit dominus aduersum omnes uicinos meos pessimos) qui tangunt hereditatem, quam distribui populo meo Israhel: ecce ego euellam eos de terra sua et domum Iuda euellam — siue eiciam — de medio eorum. et cum euellero eos, conuertar — siue reuertar — et miserebor eorum et reducam eos — siue habitare faciam —, uirum in hereditate sua et uirum in terra sua, Dicitur ad eos.

quibus cIeri sui et ecclesiasticus ordo non proderit, ut confundantur a gloriatione sua et ab opprobrio coram domino. quodque infert: aduersum omnes uicinos meos pessimos, iuxta litteram uicini terrae sanctae Idumaei sunt, Philistiim, Moab et Ammon. iuxta tropologiam uero omnes heretici, qui sub nomine Christi censentur et uicini magis sunt quam habitatores terrae sanctae, qui tangunt hereditatem dei et deuastaut eam; diciturque de eis, quod auferantur de medio terrae et domus Iuda tollatur I de medio eorum. qui, cum euulsi fuerint et de hereticorum faucibus liberati, consequentur misericordiam dei et reducentur in hereditatem et in terram suam.

Et erit, si eruditi didicerint uias populi mei, ut iurent in nomine meo : uiuit dominus, sicut docuerunt populum meum iurare in Bahal. aedificabuntur in medio populi mei; quodsi non audierint, euellam gentem illam euulsione et perditione, ait dominus. Si translati de heresi in ecclesiam didicerint uias populi dei et iurauerint in nomine domini et non in nomine idolorum, quae de suo corde finxerunt, aedificabuntur a domino et erunt pars populi eius.

quodsi translati in ecclesiam peruersorum dogmatum reliquias tenuerint et non audierint uerba domini, euelletur gens illa de medio populi dei euulsione et perditione perpetua, ut nequaquam eis ullus locus paenitentiae relinquatur. haec cotidie cernimus et rebus probamus, quod ideo heretici fidei simulent ueritatem, ut simplices quosque decipiant et non ipsi conuertantur ad fidem, sed fideles trahant ad infidelitatem.

Haec dicit dominus ad me : uade et posside tibi lumbare — siue cinctorium — lineum et pones illud super lumbos tuos et in aquam non in feres illud — siue per aquam non transibit — ! et possedi lumbare iuxta uerbum domini et posui circa lumbos meos. et factus est sermo domini ad me secundo dicens: toll-e lumbare— siue cinctorium—, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, et surgens uade ad Eufraten et absconde illud ibi in foramine petrae!

et abii et abscondi illud in Eufrate, sicut praeceperat mihi dominus. et factum est post dies plurimos, dixit dominus ad me: surge, uade ad Eu fraten et tolle

inde lumbare — siue cinctorium —, quod praecepi tibi, ut absconderes illud ibi! et abii ad Eufraten et fodi et tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud; et ecce computruerat lumbare — siue cinctorium —, ita ut nullo usui aptum esset.

et factum est uerbum domini ad me dicens: haec dicit dominus : sic putrescere faciam superbiam — siue iniuriam — Iuda et superbiam Hierusalem multam et populum istum pessimum, qui nolunt audire uerba mea et ambulant in prauitate — siue in directione — cordis sui pessimi abieruntque post deos alienos, ut seruirent eis et adorarent eos, et erunt sicut lumbare istud. quod nullo usui aptum est. sicut

enim adhaeret lumbare ad lumbos uiri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israhel et omnem domum Iuda. dicit dominus, ut esset mihi in populum et in nomen et in laudem et in gloriam; et non audierunt.

Cinctorium siue lumbare, quod dei renibus iungitur, populus Israhel est, qui in lini similitudinem assumtus de terra et inlotus nec mollitudinem habuit nec candorem et tamen per illius misericordiam adhaesit deo. cumque peccasset — rationale quippe est huiuscemodi linum atque lumbare —, ductus est trans Eufraten, id est in Assyrios, et ibi absconditur, hoc est multitudine magnarum et innumerabilium gentium quodammodo absortus et nihili reputatus.

post longum autem tempus ipse propheta in typum dei populum liberat de captiuitate. qui nihilominus et post reditum dei praecepta non fecit, sed secutus deos alienos ad extremum etiam in dei filium misit manus et aeterna perditione contabuit. omnis quoque uir sanctus lumbare dei est, qui assumtus de terra et de terrae limo dei consortio copulatur et quodammodo, quae in ecclesia eius uidentur obscena. maiore diligentia operit atque circumdat, ne gentilium et hereticorum morsibus pateant.

quod lumbare, si aquam tetigerit et Eufratis fluenta transierit, ita ut Assyriae regionis umoribus imbuatur. perdit pristinam fortitudinem et conputrescit atque dissoluitur et, quamuis in usum dei redeat. tamen pristinam pulchritudinem habere non potest, non duritia dei, sed suo uitio, quia nolunt audire uerba eius et ambulant in prauitate cordis sui sine, quod sibi rectum uidetur, hoc faciunt.

sed et ipse sermo diuinus, cur hanc posuerit similitudinem, exponit dicens: \’sicut enim adhaeret lumbare ad lumbos hominis, sic agglutinaui et adhaerere mihi feci omnem domum Israhel et omnem domum Iuda\’ — decem uidelicet et duas tribus -, ut esset mihi in populum nominatum et in laudem et in gloriam; et pro his omnibus non audierunt me, sed sua uitia sunt secuti\’.

caueat ergo, qui potest dicere: mihi autem adhaerere deo bonum est, ne forte per neglegentiam ab illius renibus separetur et transeat Eufraten et detur in potestatem regis Assyrii et nequaquam in solidissima petra, sed in foramine petrae cor-

ruptae atque uitiatae, hoc est hereticorum sordibus et uitiis, occupetur et in tantam ueniat putredinem, ut in usum et in cinctorium domini ultra redire non possit.

Dices ergo ad eos — siue ad populum — sermonemXV.Dicesergoad eos - siue adpopulum-sermonem istum: haec dicit dominus deus Israhel: omnis laguncula — siue uter — implebitur uino. et dicent ad te: numquid ignoramus, quod omnis laguncula — siue uter — impleatur uino? et dices ad eos: haec dicit dominus: ecce ego implebo omnes habitatores terrae huius et reges, qui sedent de stirpe - siue filios — Dauid super thronum eius, et sacerdotes et prophetas et omnes habitatores Hierusalem ebrietate et dispergam eos, utrum m a fratre suo et patres et filios pariter, ait dominus; non parcam — siue non desiderabo — et non concedam neque miserebor, ut non disperdam eos. Uerbum Hebraicum <nebel\' Aquilae prima editio \'lagunculam\', secunda ipsum \'nebel\', Symmachus <craterem\', LXX <utrem\', Theodotio \'uas\' interpretati sunt; quod omne non oleo, non aqua, non melle, non lacte, non alia qualibet materia liquentis elementi, sed uino et ebrietate conpletur ostendens nos uas esse fragile iuxta apostolum dicentem: habemus autem thesaurum istum in uasis fictilibus, nec posse fieri, ut non illud impleatur in nobis, quod scriptum est: non enim habitat in carne mea bonum, et iterum: non enim, quod uolo bonum, hoc facio, sed, quod nolo malum, hoc operor, ac deinde: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? hac autem ebrietate, qua obliuiscimur praeceptorum dei, et uitiis atque peccatis omnis impletur humana condicio dicente propheta: non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens — non ad conparationem dei, ut ueteres et noui heretici uolunt et patroni hereticorum, sed ad scientiam eius; homo enim 25 uidet in facie, deus in corde — et, quod nobis interdum mundum uidetur, illius oculis sordidum deprehenditur: non solum uulgus ignobile uilisque plebicula. sed reges ecclesiarum. de stirpe siue filii Dauid, qui sedent resupini erectaque ceruice et protento aqualiculo super thronum eius. sacerdotes quoque ipsi, secundus in ecclesiastico honore gradus, et prophetae, qui uidentur habere scientiam scripturarum, et omnes habitatores Hierusalem pro peccatorum uarietate conplentur siue ludas, ut addidere LXX. cumque ebrii fuerint, dispergantur a societate sui patresque a filiis et filii a patribus separantur, ut diuersis polluantur heresibus et sub Christi nomine inter se digladientur et dimicent contra matrem suam, quae eos genuit, ecclesiam. unde dicit: \'non desiderabo eos, sed odio habeam sempiterno, non parcam et non concedam neque miserebor, non crudelitate sententiae, sed ueritate indicii. qui enim meos populos trucidarunt. ipsi in aeternum peribunt\'. potest hoc et iuxta historiam simpliciter accipi, quod et reges et sacerdotes et prophetae et omnis populus Hierusalem inebriandus sit calice Babylonio et captiuitatis obruendus malis.

Audite et auribus percipite, nolite eleuari, quia dominus locutus est! Quia supra dixerat: omnis uter implebitur uino, ita ut reges quoque et sacerdotes et prophetae et omnis habitator Hierusalem impleretur ebrietate, propterea iungit et dicit: au-

dite et auribus percipite, tam extrinsecus quam intrinsecus, tam mente quam 25 corpore, et nolite eleuari per superbiam cogitantes fragilitatem uestram et, quod nullus sit, qui pro qualitate peccati hac ebrietate careat. unde disperditur atque corrumpitur et dei misericordia indignus est eleuans se aduersum eum per superbiam.

Date domino deo nostro gloriam, antequam contenebrescat et antequam offendant pedes uestri ad montes caligosos — siue tenebrosos — ! exspectabitis lucem, et ibi umbra mortis et ponentur in tenebris — siue iuxta Hebraicum: et ponet eam in umbra mortis et in caligine -. quodsi non audieritis, in abscondito plorabit anima (mea — siue) uestra — a facie superbiae sine in iniuriae . Eos quibus dixerat sermo diuinus:

audite et auribus percipite et nolite eleuari, nunc prouocat ad paenitentiam, ut, priusquam ducantur Babylonem et offendant pedes eorum in montes tenebrosos sine caligosos, dent gloriam deo. unde et peccatoribus saepe dicitur: date gloriam deo!

quod autem Babylon et omnis regio Chaldaeorum mo-ntes caligosi siue tenebrosi appellentur, in principio Isaiae contra Babylonem legimus, ubi scriptum est: super montem caligosum leuate signum, quod Hebraice dicitur \'neseptha\'. hoc itaque praecipit, ut, antequam ducantur in captiuitatem et sernitutis mala sentiant, agant paenitentiam, cumque exspectent lucem, sessuri sint in tenebris.

\'sin autem\'. inquit, \'me nolueritis audir, ab scondite\' — iuxta Aquilam \'in tenebris\' — \'plorabit anima mea\' — siue iuxta LXX \'uestra\' — \'a facie superbiae, ut ne gemitus quidem et ploratus liber sit, ne uictorum offendantur oculi\', possumus autem et sic locum istum interpretari: saluator loquitur: \'operamini, dum dies est; ueniet nox, quando nullus ultra potest operar ? .

de hoc tempore et Isaiae uaticinium est: stellae enim caeli et Orion et omnis ornatus caeli lucem non dabunt et tenebrabuntur orto sole et luna non dabit lucem. Sophonias quoque in eadem uerba consentit dicens: dies tribulationis et angustiae, dies miseriae et perditionis, dies tenebrarum et turbinis, dies nubis et caliginis.

prius ergo, quam iudicii tempus adueniat et offendant pedes nostri ad montes tenebrosos, aduersarias scilicet fortitudines, quae tormentis et cruciatibus praepositae sunt, agamus paenitentiam. ne exspectantes lucem noctis tenebris inuoluamur, sciamusque, nisi hoc fecerimus, ploraturam animam uel dei uel prophetae a facie nostrae superbiae dei uerba audire nolentium. unde et ipse propheta dicit:

Plorans plorabit Hierusalem — siue plorans plorabit — et deducet oculus meus lacrimam doloremque meum tacitis gemitibus dissimulare non possum; omnis autem causa cruciatuum est, quod captus sit grex domini.

Dicamus Iudaeis et nostris iudaizantiqui simplicem tantum et occidentem sequuntur historiam: nisi audieritis abscondite, hoc est in mysterio siue in tenebris, quas posuit deus latibulum suum, et iuxta Salomonem ut intellegant parabolam et tenebrosum sermonem, plorabit anima prophetae siueipsorum a facie superbiae, dum per contumaciam resistunt deo. unde et fletus erit iugis lacrimaeque perpetuae eo, quod a uero Nabuchodonosor captus 19 sit grex domini atque corruptus.

Dic regi et dominatrici — siue dicite regi et potenti bus — : humiliamini, sedete, quoniam descendit — siue sublata est — de capite uestro corona gloriae uestrae ! ciuitates austri clausae sunt et non est, qui aperiat; translata est omnis Iudaea — siue translatus est omnis Iuda — transmigratione — siue captiuitate - perfecta.

Prophetae praecipitur, ut loquatur regi Iechoniae et matri eius, quam dominam et dominatricem siue reginam appellat, ut humilientur et in puluere sedeant; perdidisse enim eos regiam dignitatem et regi tradendos Babylonio. ciuitates austri clausae sunt, id est tribus Iudae et Hierusalem, quae iuxta solitudinem ad austrum uersa est, et non est, qui aperiat obsidione circumdatas.

translata est omnis ludaea — sine omnis ludas — transmigratione perfecta siue \'recepit, quod merebatur, et conpletum est in ea\'; ita enim LXX transtulerunt. delirat in hoc loco, qui regem Christum et potentes angelos uel apostolos intellegit, ut assumant corpus humilitatis et in puluere sedeant et amittant — uel rex uel potentes — de capite suo coronam et gloriam fortitudinis.

cmitates quoque austn clausas interpretatur infernum et, quae nulli aperiantur, omnemque gloriam Iudae esse translatam, quando in passione conpletum est: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt ; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. uerbum Hebraicum \'gebira\' Aquila et Symmachus \'dominatricem\' et \'dominam\' interpretati sunt, quod LXX putauerunt \'geburoth\' \'potentes\'que dixerunt.

Leuate oculos uestros et uidete, qui ueniunt - siue qui uenitis - ab aquilone ! ubi est grex. qui datus est tibi, pec-us inclytum tuum? quid dices, cum uisitauerit te? tu enim doces eos aduersum te et erudisin in caput tuum.

Praecipitur habitatoribus Hierusalem, ut eleuent oculos suos et uideant Chaldaeos ab aquilonis parte uenientes, interrogaturque ipsa ciuitas et dicitur ei: \'ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? ubi est populus tuus, quem a deo acceperas? ubi illa tanta et inclyta multitudo, ut totius turbam prouinciae in unum locum crederes congregatam?

quid dices, cum te uisitauerit dominus in uirga sua et Babyloniis tradiderit hostibus, quos aduersum te uel in caput tuum uel a principio ipsa docuisti, ut ad eorum auxilia confugeres et ipsorum idola sectareris, qui sub occasione amicitiae tuae didicerunt, per quod iter ad te uenire deberent\'. audiat hoc ecclesia neglegens,

quod ipsa doceat aduersarios suos, quomodo eam possint spiritali captiuitate conprehendere et pecus eius bestiarum crudelitate lacerare.

Numquid non dolores adprehendent te quasi mulierem parturientem? quodsi dixeris in corde tuo: quare uenerunt mihi haec? propter multitudinem iniquitatis tuae reuelata sunt uerecundiora tua, pollutae sunt — siue dehonestatae sunt -plantae tuae.

<Dum nescis, quasi mulierem partus subitus, ita te captiuitas repentina conprehendet. quodsi causari nolueris et quaerere, cur tradita sis hostibus, audi manifeste multitudinem tibi haec fecisse iniquitatis tuae, ut quasi mulieris meretricis sublatis uestibus reuelaretur ignominia tua et ostenderentur publice fornicationes tuae\', per quae discimus, quamdiu fuerint minora peccata, agere deum patienter et exspectare nostram paenitudinem; sin autem noluerimus delictis copulare delicta et cumulum facere peccatorum, reuelabnntur pudenda nostra et ostendentur cunctis plantae nostrae uel in praesenti saeculo uel in futuro. nihil est enim occultum, quod non manifestetur, quando implebitur illud Danihelis: isti resurgent in uitam aeternam et illi in opprobrium et in confusionem sempiternam.

Si mutare potest Aethiops pellem suam aut pardus uarietates suas, et uos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. Hoc testimonio utuntur aduersum ecclesiam, qui diuersas cupiunt asserere naturas, et tantam dicunt esse uel nigredinem uel uarietatem peccatorum, ut in candorem et unius coloris pulchritudinem transire non possint non attendentes hoc, quod sequitur: et uos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.

quicquid enim discitur, non naturae est, sed studii et propriae uoluntatis, quae nimia consuetudine et amore peccandi quodammodo in naturam uertitur. sed hoc, quod hominibus inpossibile est, deo possibile est, ut nequaquam Aethiops et pardus suam uideantur mutare naturam, sed ille, qui in Aethiope operatur et pardo, dicente apostolo: omnia possum in eo, qui me confortat, Christo.

unde et in alio loco, amplius, inquit, illis omnibus laboraui; non ego autem, sed gratia dei, quae in me est, et: uiuo non iam ego, sed uiuit in me Christus. et iterum scriptum legimus: quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? quas ob causas non glorietur sapiens in s sapientia sua nec fortis infortitudine sua nec diues in diuitiis suis nec pudicus in sua pudicitia sciens, quod in omnibus his Christi uirtus sit, non eorum, qui in suis uirtutibus gloriantur.

Et disseminabo eos quasi stipulam, quae uento raptatur in deserto. haec sors tua parsque mensurae tuae a me, dicit dominus siue et pars inoboedientiae tuae aduersum me. ‘Quia nimia consuetudine malorum non potuerunt mutare naturam. non uitio conditoris, sed studio inoliti sceleris, propterea quasi stipulam uento raptatam dispergam eos in solitudinem iuxta illud, quod alibi scriptum est: tamquam puluis,

quem proiecit uentus a facie terrae\'. facitque apostropham ad ipsam Hierusalem, quod haec sit sors eius et ista pars, quam sibi ipsa elegerit, mensuram cumulatam atque perfectam et supereffundentem siue partem inoboedientiae suae, qua domino noluit adquiescere; in qua enim mensura mensurauerit, remetietur illi.

Quia oblita es mei et confisa es — siue sperasti — in m mendacio o, unde et ego nudaui—siue w nudabo et reuelabo — femora — et posteriora — tua contra faciem tuam et parebit ignominia tua, adulteria tua et hinnitus tuus, scelus — uel alienatio — fornicationis tuae.

Causa dispersionis Hierusalem. quod oblita sit dei et confisa uel sperauerit in mendaciis. qui praeter deum in rebus confidit saeculi, obliuiscitur dei. unde reuelantur femora uel posteriora eius, ut uideat ignominiam suam et, quae retro esse deberent. fiant in prioribus cernatque ipse, quod fecit, et appareat ignominia eius non tantum ipsi, sed et omnibus.

adulteria, inquit, tua et hinnitus tuus non solam libidinem, sed insaniam ostendit libidinis equarum more, quae ad coitum gestiunt, ut est illud Uergilianum: hippomanes, uero quod nomine dicunt pastores, lentum destillat ab inguine uirus. rogemus Iesum, ut nec in praesenti nec in futuro saeculo reuelet femina et posteriora nostra, sed ut deleat iniquitates nostras et omnia scelera apparere non faciat.

Super colles in agro uidi abominationes tuas. uae tibi, Hierusalem! non mundaberis — siue quia non es mundata — post me; usquequo adhuc? ‘Non solum in media urbe Hierusalem, sed in omni colle cunctisque regionibus uidi idola tua\’; unde dicitur ad eam: (uae tibi, Hierusalem, quia non es mundata post me, ut. cum mea te iactares sequi uestigia et confessionem mei nominis uentilares, tamen numquam purgata sis, quia oblita es mei et sperasti in mendaciis\’.

unde increpat eam et dicit: usquequo adhuc? et est sensus: \’quamdiu te exspectabo? quamdiu feram? usquequo obliuisceris mei in finem et mea praecepta contemnes?\’ fornicatur in collibus et in agris et numquam mundatur, qui erecta ceruice per superbiam non humiliatur sub potenti manu dei, sed in suis sceleribus uitiisque confidit.

Quod factum est uerbum domini ad Hieremiam de sermonibus siccitatis. Irae dei uniuersa consentiunt: unde et sol super peccatores occidit meridie et luna astraque cetera non dant lumen suum putandumque est obsidionis tempore pluuias non fuisse, ut sterilitatem obsessi sustinerent aquae. uno quippe fonte Siloae, et hoc non perpetuo, utitur ciuitas et usque in praesentem diem sterilitas pluuiarum non solum frugum. sed et bibendi inopiam facit.

Luxit Iudaea — siue ludas — et portae eius corruerunt — sine uacuae factae sunt — et obscuratae — siue contenebratae — sunt super terram et clamor Hierusalem ascendit. maiores eius miserunt minores — siue iuniores — suos ad aquam; uenerunt

ad hauriendum — sine ad puteos - et non inuenerunt aquam, reportauerunt uasa sua uacua. confusi sunt et afflicti — sine erubuerunt — et operuerunt capita, sua; propter terrae uastitatem — siue et opera terrae quoniam defecerunt —, quia non uenit — sine non erat — pluuia super terram, confusi sunt agricolae, operuerunt capita sua.

Tempore siccitatis, quando famem patitur multitudo audiendi et discendi sermonem dei. luget Iudaea cultum dei prius habere se iactans et confessionem uerae fidei portaeque eius uel uacuantur uel corruunt, quas ad sensus referre debemus, per quos animae concipitur disciplina. tunc obscurantur omnia et inuoluuntur tenebris et nequaquam in Hierusalem ratio regnat et sermo doctrinae, sed clamor atque confusio. maiores quoque, qui deberent ipsi pergere ad hauriendas aquas, mittant iuniores, in quibus cani non sunt sapientiae, et idcirco ueniunt ad puteos et non inueniunt aquas, quas patri- archas inuenisse narrat historia. reportant uasa sua uacua, iuniores uidelicet, non quo aquae non fuerint, sed quo illi inuenire non potuerint. confusi sunt et afflicti — siue erubuerunt — et operuerunt capita sua — quia non poterant dicere cum apostolo: ‘nos autem omnes reuelata facie gloriam domini contemplamur\’ - propter terrae uastitatem siue et terrae opera defecerunt, per quae ad dei notitiam pergimus. causaque perspicua, quia non uenit pluuia super terram. mandatum est quippe nubibus, ne pluerent super eam imbrem. agricolae quoque, quorum unus loquitur: dei agricultura. dei aedificatio estis et [in alio loco]: dei cooperatores sumus, operiunt caput suum et confunduntur intellegentes sine dei gratia et adiutorio frustra se tendere.

Nam et cerua — sine ceruae — in agro peperit — sine pepererunt — et reliquit — siue reliquerunt —, quia non erat herba. et onagri 25 steterunt in rupibus, traxerunt uentum quasi dracones; defecerunt oculi eorum, quia non erat herba siue faenum.

Grandis sterilitas, quando et ceruae in agro pariunt et relinquunt fetus suos. quia non sit herba uel faenum, ut, quae odore narium serpentes extrahunt de cauernis et uenenata interficiunt animantia, cibo gratiae non utantur, onagri quoque. de quibus scriptum est: quis dimisit in solitudine onagrum liberum?, plana et campestria relinquentes stent in rupibus et currere nequeant et attrahant uentum in draconum similitudinem deficiantque oculi eorum et claram lucem cernere nequeant rationalibus subtractis cibis.

siccitas haec saepe accidit in ecclesiis, quando et cerui et onagri inueniuntur in populis et magistrorum paenuria contabescunt, sunt, qui possint discere. et non sunt. qui possint docere.

Si iniquitates nostrae responderunt — siue restiterunt — nobis, domine. fac propter nomen tuum, quoniam multae sunt auersiones nostrae — uel peccata nos-

tra —. tibi peccauimus, exspectatio Israhel, saluator eius in tempore tribulationis . Si dubitamus, quare non descendant pluuiae super terram, quare cuncta ariditate marcescant, audiamus: iniquitates nostrae restiterunt nobis; \'propterea, domine, non secundum opera nostra, sed secundum sanctum nomen tuum uince multas auersiones nostras.

tibi enim peccauimus, quem cordis secreta non fallunt, et te praestolamur, qui uera spes et exspectatio es Israhel et saluas eum in tempore tribulationis iuxta illud, quod scriptum est: ad dominum, cum tribularer, clamaui et exaudiuit me. dicamus et nos in tempore siccitatis aquarumque paenuria: 'tibi peccauimus et malum coram te fecimus, tuum praestolamur aduentum, qui saluas Israhel non suo merito. sed tua clementia.\'

Quare futurus es quasi colonus in terra et quasi uiator declinans ad manendum? quare futurus es uelut uir uagus aut fortis, qui non potest saluare? LXX: quare factus es sicut aduena in terra et quasi indigena deuertens ad manendum? numquid eris quasi homo dormiens et quasi u i r, qui saluare non possit?

Iudaei hunc locum sic intellegunt: \'quare segregas te a populo tuo et quasi uiator propter unius horae refrigerium non curas, quali utaris hospitio, sed ad alia transiturus non salues plebem tuam et templum quondam iuclytum deseras?1 nostri uero de futura Christi dispensatione dici putant, quod futurus sit peregrinus in terra et paruo tempore terrae usurus hospitio et quasi uir pertransiens ac robustus relicto Israhel tendat ad gentium multitudinem, ut de loco ad locum, de populo ad populum, de templo ad ecclesiam transeat.

quod autem iuxta LXX dicitur: numquid eris quasi homo dormiens et quasi uir, qui saluare non possit?, similitudinem ponit, non rei ueritatem secundum illud, quod scriptum est: surge, cur dormis. domine? non quo dominus dormiat, de quo dicitur: non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israhel, sed quo his uideatur dormire, quos deserit. denique et in consequentibus non scribitur: \'uir dormiens\', qui saluare non possit, sed: quasi uir'; in utroque ἀνθρωποπαθῶς.

Tu autem in nobis es, domine, et nomen tuum super nos inuocatum est ne derelinquas uos siue ne obliuiscaris nostri! 'Qui apud Iudaeos quasi aduena futurus es et uiator et uir uagus et antiquam deserens mansionem, in nobis habitas et nomen tuum supernos inuocatum est, ut appellemur Christiani; idcirco ne derelinquas nos neque obliuiscaris nostri, quibus de futuro aduentu tuo omnium prophetarum ora eecinerunt\'.

Haec dicit dominus populo huic: quia dilexit — siue dilexerunt - mouere pedes suos et non quieuit — siue non pepercerunt — et domino non placuit — siue et deus non conplacuit sibi in eis —, nunc recordabitur iniquitatum eorum et uisitabit peccata eorum.

Dicente populo: cquare factus es ut aduena uiator et uagus, ut tuam deseras mansionem?', respondet dominus populo quondam suo: \'uis nosse rationem? ausculta, quod dicitur: quia dilexit populus monere pedes suos et non abstulit eos de compede peccatorum siue non quieuit et stare non potuit, idcirco et ego deserui eum et nulla mihi in illo est conplacitio\'.

qui igitur diu distulit et per patientiam noluit punire peccantes, quia in scelere permanserunt, recordabitur iniquitatum eorum et quasi aegrotantium et deum non sentientium peccata uisitabit, ut ultra peccare desistant. notandum autem in scripturis sanctis, quod semper peccatorum moneantur pedes et sanctis dicatur cum Mosi: tu uero hic sta mecum, et alibi scriptum sit: laudate, serui, dominum, qui statis in domo domini, in atriis domus dei nostri!

Et dixit dominus ad me: noli orare pro populo isto in bonum! cum i ieiunauerint ut, non exaudiam preces eorum et, si optulerint holocautomata et uictimas, non suscipiam eas, quoniam gladio et fame et peste ego consumam eos. Stultum est orare pro eo, qui peccarit ad mortem dicente lohanne: est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget. omnis iniquitas peccatum est et est peccatum non ad mortem.

ieiunia et preces et uictimae et holocausta tunc proficiunt, cum recedimus a uitiis et flemus antiqua peccata; sin autem sceleribus permanentes putauerimus uotis atque sacrificiis redimere nos aures dei, uehementer erramus iniquum arbitrantes deum. qui enim semel gladio et fami et pesti fuerit destinatus, nullis precibus erui potest. unde et prophetae dicitur, ne frustra roget, quod impetrare non possit.

Et dixi: ah. ah ah, domine deus — siue qui es, domine deus —, prophetae dicunt eis: non uidebitis gladium et fames non erit in uobis, sed pacem ueram dabit uobis in loco isto. et dixit dominus ad me: falso prophetae uaticinantur tur in nomine meo. non misi eos et non praecepi eis n eque locutus sum ad eos; uisionem mendacem et diuinationem fraudulentam et seductionem cordis sui prophetant uobis.

Audiant haec magistri, qui peccantibus et in suis uitiis permanentibus prospera pollicentur, qui dicunt diuitibus: \'non uidebitis gladium tormentorum dei et fames non erit in uobis. saturabimini quippe sermonibus dei et pacem dabit uobis dominus uerissimam in loco ecclesiae siue Hierusalem\'. quod autem dixit iuxta Hebraicum tertio: ah ah ah, ad priora respondit, ubi dominus fuerat comminatus dicens: gladio et fame et peste ego consumam eos.

quia igitur prophetae immo pseudoprophetae falsa polliciti sunt, ideo dominus locutus est per Hieremiam: \'nolite audire uerba pseudoprophetarum, qui non a me missi sunt, sed sua uoluntate uenerunt! unde nequaquam prophetae, sed diuini sunt appellandi, qui seductionem populo loquuntur\'. multo enim melius est timore poenarum emendare peccata quam spe prosperorum diuinae sententiae subiacere.

Ideo haec dicit dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non m misi, dicentes: gladius et fames non erit in terra hac: gladio et fame consumentur prophetae illi. et populi, quibus prophetauerunt, erunt proiecti . in uiis Hierusalem prae fame et gladio et non erit, qui sepeliat eos, ipsi et uxores eorum, filii et filiae eorum, et effundam super eos malum suum siue mala sua.

Caueant pseudoprophetae, qui prospera promittendo supplantant populum dei, ne et ipsi pereant et deceptus populus simili deleatur interitu iaceantque in uiis Hierusalem et domini praecepta calcantes fame et gladio pereant et non sit, qui sepeliat eos, nec ignominiam eorum operiat puluere paenitentiae.

et ipsi enim prophetae et populus uxoresque eorum et filii et filiae omnisque generatio absque ullo pollinctore in sterquilinium erit. quanti iacent in uiis Hierusalem! quantos cernimus insepultos recipere mala sua, quae domino effundente patiuntur!

Et dices ad eos uerbum istud: deducant oculi mei lacrimam — siue deducant oculi uestri lacrimas — per noctem et diem et non taceantsiue non cessent —, quoniam contritione magna contrita est uirgo filia populi mei, plaga pessima uehementer. Dupliciter hic locus intellegitur, quod uel ipse deus plangat populum suum et oculi eius flere non cessent uel certe imperet, ut populorum oculi lacrimis fluant: nec leue esse, quod plangendum sit, cum uirgo filia populi sui contritione maxima et plaga intolerabili percussa sit. alii ex persona prophetae haec dici arbitrantur.

Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio et, si introiero ciuitatem, ecce attenuati fame — siue dolor famis —! propheta quoque et sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant. Iusta causa plangendi, quod uirgo contrita sit, filia percussa populusque deletus. <si enim\', inquit, \'foras exire uoluero, interfectos uidebo: si ingredi ciuitatem, attenuatos et ossibus uix haerentes famis necessitate conspiciam\'.

et quid mirum hoc de plebe et ignobili uulgo dicere, cum prophetae quoque et sacerdotes, qui aliis prospera prophetabant et qui debebant legis aperire mandata, ipsi ierint in terram, quam ignorabant, et captiuitatis sustinuerint malum? audiant hoc prophetae nostri et sacerdotes, quod nec intus nec foris propter neglegentiam eorum sit ulla securitas, quod et eos scandalizent, qui foris sunt, et eos, qui intus, fame interire patiantur et, qui auctores fuerint peccandi, sint cruciatuum socii.

Numquid proiciens abiecisti Iudam aut Sion abominata est anima tua? quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? exspectauimus pacem, et non est bonum, et tempus curationis. et ecce turbatio! Miratur propheta, quod ludam et Hierusalem, duarum uidelicet tribuum regnum, in quo erat religio dei et templi caerimoniae, dominus tam repente proiecerit et tanta percusserit plaga, ut nulla possit adhiberi medicina.

\'exspectauimus\' inquit, pacem et tempus curationis, et nullum est bonum, sed econtra turbatio, ut. ubi prius fuerat cultus dei atque tranquillitas, ibi seditionibus et hostili fremitu omnia conplerentur\'. si quando ergo et nostra Sion nosterque ludas abicitur et abominatur illum anima dei, nequaquam miremur, sed magis dicamus, quod sequitur:

cognouimus m u s, domine, i impietates nostras, iniquitatem patrum nostrorum, quia peccauimus tibi. \'Et nos\', inquit, \'et patres nostri eadem dementia dei praecepta negleximus et impleta est in nobis mensura maiorum, ut, quicquid illis defuerat, nostro cumulo compleretur\'. unde et de Iuda dicitur: in memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini et peccatum matris eius non deleatur! fiat contra dominum semper et dispereat de terra memoria eorum!

Ne nos des in opprobrium propter nomen tuum neque facias nobis contumeliam solii gloriae tuae! recordare, ne irritum facias. foedus tuum no b biscum! Solium gloriae dei non solum arbitremur templum Iudaeae, quod saepe destructum est, sed omnem sanctum, in quo iuxta illud, quod scriptum est: thronum eius in terram allisisti, tunc alliditur atque destruitur, quando multitudine peccatorum offenderit deum; sed tamen, qui sua culpa periit, domini clementia sustentatur, quae mutatur seueritate sententiae, si irritum faciat dominus pactum suum, quo nos saluos futuros esse pollicitus est.

Numquid sunt in sculptilibus gentium, qui pluant, aut caeli possunt dare imbres? nonne tu es, domine deus, quem exspectauimus? tu enim fecisti omnia haec. Post multos uariosque sermones redit ad titulum prophetiae, in quo scriptum est: quod factum est uerbum domini ad Hieremiam de sermonibus siccitatis.

ergo quod dicit, hoc est: (quia daemonum simulacra non possunt pluere nec caeli per se dare imbrem suum, ideo tu, domine deus noster, quem semper exspectauimus, in quem spes nostras et uota conuertimus, tu da pluuiam tuam! tua enim sunt omnia et, quicquid boni est, sine te, cuius est, dari non potest\'. dicamus hoc et contra hereticos.

qui pluuiam doctrinarum tribuere non possunt et, cum se caelos esse promittant et de se scriptum glorientur: caeli enarrant gloriam dei, tamen non possunt imbres donare doctrinae. solus est enim deus, qui suum instruat populum et diuersitates gratiae tribuat exspectantibus se.

Et dixit dominus ad me: si steterint Moses et Samuel coram me — siue contra me —, non est anima mea ad populum istum. Hos enim legimus irae domini pro populo restitisse et iam inpendentem auertisse sententiam. \'etsi\', inquit, \'illi steterint uel in conspectu meo uel contra me\' — quorum uni dixit deus: dimitte me et percutiam populum istum —, \'tamen non exaudiam, quoniam consummata sunt scelera populi delinquentis\'.

Eice — uel emitte — illos a facie mea ei egrediantur! Non loco recedunt a deo peccatores, sed uoluntate, quamquam legamus et Adam et Cain eiectos esse a facie dei.

Quodsi dixerint ad te: quo egrediemur?, dices ad eos: haec dicit dominus: qui ad mortem, ad mortem, et qui ad gladium, ad gladium, et qui ad famem, ad famem, et qui ad captiuitatem, ad captiuitatem! et uisitabo super eos quattuor species, dicit dominus: gladium ad occisionem et canes ad lacerandum et uolatilia caeli et bestias terrae ad deuorandum et dissipandum.

Quattuor plagas, quibus traditus est populus Iudaeorum, etiam Hiezechielis prophetia demonstrat: gladium, pestilentiam ex fame, bestias, captiuitatem. inter bestias autem canes quoque et uolatilia intellege, quibus ad laceranda et deuoranda et dissipanda corpora traditi sunt. neque enim fieri poterat, ut creatore neclecto non uniuersa creatura consurgeret in peccatores.

Et dabo eos in feruorem — siue commotionem et angustias — uniuersis regnis terrae propter Manassen, filium Hiezeciae, regis Iudae, super omnibus, quae fecit in Hierusalem. Legimus in Dierum uolumine Manassen post captiuitatem et paenitentiam reuersum in Hierusalem atque regnasse; sed quomodo « 1 sanctorum merita descendunt ad posteros, sicut Dauid et ceterorum, sic peccatorum flagitia, si liberi nepotesque similia gesserint, ad posteros perueniunt. quod autem dicit: \'dabo eos in feruorem siue commotionem et angustias uniuersae terrae\', et sub Babyloniis ex parte conpletum est et nunc expletur in toto, quando pessimum regem et, qui repleuerit Hierusalem a porta usque ad portam cruore iustorum, populus imitatus est impius. ex quo discimus regum ac principum et praepositorum scelere populos plerumque deleri.

Quis enim miserebitur tui, Hierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Nullus enim offenso deo potest pro flagitiis rogare peccantium, quia nec tam clemens potest creatura esse quam conditor nec ita alienus externis, quomodo dominus suis parcere.

Tu reliquisti me, dicit dominus, retrorsum abisti. Causa redditur, quare nullus misereatur Hierusalem nec contristetur pro ea nec pro pace illius obsecret: quod, cum iuxta apostolum posteriorum obliuiscens ad priora se extendere debuerit, e contrario retrouersa sit et Aegyptias carnes desiderarit.

Et extendam manum meam super te et interficiam te; labo raui rogatus — siue rogans —, pro quo LXX transtulerunt: nequaquam ultra dimittam eos. Manus extenta percutientis indicium est: interfectio peccatorum iram significat consummatam. quod autem intulit: laboraui rogatus siue rogans, duplicem sensum habet, quod iam defecerit deus crebro eis ignoscendo et lassus sit semper eos prouocans ad salutem.

Et dispergam eos uentilabro in portis terrae — siue populi mei -; interfeci et perdidi populum meum et tamen a uiis suis non sunt reuersi. \'Quid prodest saepius me rogari, cum a uiis suis pessimis non reuertantur nec agant paenitentiam? dispersi enim eos quasi uentilabro, ut purgarem aream meam, et dispersi in portis terrae, ut inferni quodammodo calcarent limina, et interfeci et perdidi populum meum, ut coacti malorum necessitate inpendentia uitarent mala\\

Multiplicatae sunt mihi uiduae eius super harenam maris, induxi eis super matrem adulescentis uastatorem meridie; misi super ciuitates repente terrorem. Diuersis medicaminibus cupit deus saluare peccantes, ut, qui contemserant blandientem, timeant comminantem.

uiduae multiplicatae sunt super harenam maris interfectis uiris: matres perditis liberis sensere uastantem non in nocte et per insidias, sed clara luce, ut ostendat apertam uim aduersarii fortioris. \'misi\', inquit. \'super ciuitates\' — hau dubium quin Iuda et populi peccatoris — \'repente terrorem, ut, quanto fuit subitum malum, tanto difficilius esset effugium\'.

Infirmata est — siue abiecit aut uacua facta est , quae peperit septem — sine plurimos —, defecit anima eius; occidit ei sol, cum adhuc esset dies — aut medius dies -; confusa- est et erubuit. et residuos eius in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, a it do m in us. Saepe diximus uerbum Hebraicum \'saba\' uel \'septem\' uel \'iuramentum\' sonare uel \'plurimos\'. unde et diuersa est interpretatio Aquila, LXX et Theodotione \'septem\' transferentibus, Symmacho \'plurimos\'.

quae igitur erat diues liberis, orba subito facta est et clara luce disperiit et confusa est in solitudine sui. \'reliquum autem\', ait, \'populum tradam gladio, ut mortem et iram dei nullus effugiat\'. alii ad synagogam referunt. quae infirmata est, ut ecclesiae cresceret multitudo iuxta illud, quod scriptum est: sterilis peperit septem — siue plurimos - et, quae multos habebat liberos, infirmata est. unde et occidit ei sol iustitiae, in cuius pinnis est sanitas, et idcirco aeterna confusione cooperta est perdens populum suum gladio spi ritali.

Uae mihi, mater mea, quare genuisti me uirum rixae — sine iudicii —, uirum discordiae - sine qui indicer — in uniuersa terra? Potest hoc συνεκδοχικῶς de Hieremia intellegi, quod non in toto orbe terrarum, sed in terra Judaea sit indicatus. uere autem domino competit saluatori, qui loquitur in euangelio: in indicium ego in mundum istum ueni, ut, qui non uident, uideant et, qui uident, caeci fiant, de quo scriptum est: ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israhel et signum, cui contradicetur.

quis enim philosophorum, quis gentilium, quis hereticorum non iudicat Christum ponentium ei leges natiuitatis et passionis resurrectionisque suae et substantiae? nec mirum iuxta assumti corporis ueritatem Christum dicere: uae mihi, mater mea, cum et in alio loco perspicue personae eius conueniat, quod dicitur: uae mihi, quia

factus sum, sicut qui colligit stipulam in messe et sicuti racemum in uindemia non habens spicam, ut comedat primitiua!

et ne putemus gemituum uilitatem referri ad uerbum dei, qui sit iste, qui plangat, statim sequitur: uae mihi, anima, quia periit reuerens a terra! non quo diuidamus personas, ut impii faciunt, sed quo unus atque idem filius dei nunc iuxta carnem nunc iuxta uerbum loquatur dei.

Non faeneraui nec faenerauit mihi quisquam; omnes maledicunt mihi, pro quo LXX: non profui neque profuit mihi quisquam, Theodotio: non debui neque debuit mihi quisquam. Quorum omnium hic sensus est ex persona Christi: \'nullus se praebuit, qui digne mea aera susciperet, nec faenerauit mihi quisquam in sanctis atque pauperibus confouendis me sibi faciens debitorem. siue non profui nec profuit mihi quisquam; nullus enim tantum uoluit accipere, quantum ego tribuere ,-desideraui.

nec protuit mihi quisquam; salus enim creaturae lucrum est creatoris. aut certe non debui nec debuit mihi quisquam; nemo mihi dedit, quantum accipere cupiebam, nec me sibi fecit in aliquo debitorem\'. quodque infert: nec debuit mihi quisquam, hunc habet sensum: \'quomodo enim poterat mihi usuram debere, qui faenus non est dignatus accipere?\' omnes, inquit, maledicunt mihi; quis enim hereticorum atque errantium non maledicit Christo peruersa credendo et peruersiora blasphemans?

Dicit dominus: si non reliquiae tuae in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis et in tempore tribulationis - et angustiae - aduersum in imicum. Possunt haec et ex persona Hieremiae accipi, qui pessimo tempore et iam imminente captiuitate prophetare conpulsus est et dura perpeti a populo non credente.

ad id, quod supra dixerat: uae mihi, mater, ut quid me genuisti uirum, qui iudicer et discernar omni terrae? et reliqua, respondet dominus: \'noli considerare praesentia, sed futura; reliquiae enim tuae et nouissima erunt in bonum. denique et in praesentiarum, eum te cuperent inimici opprimere, affui tibi et meo es protectus auxilio\'. hoc autem tam ad Hieremiam quam secundum dispensationem carnis assumtae ad saluatorem referri potest.

pro eo, quod nos iuxta Hebraicum interpretati sumus: omnes maledicunt mihi usque ad eum locum, ubi scriptum est: in tempore tribulationis aduersum inimicum, in editione uulgata ita scriptum repperi: fortitudo mea defecit in his, qui maledicunt mihi. fiat, domine, dirigentibus illis, si non adstiti tibi in tempore afflictionis eorum et in tempore tribulationis eorum in bona contra inimicum! et est sensus: \'fortitudo mea defecit in his. qui maledicunt mihi; non enim intellegunt uirtutem meam, quae in infirmitate perficitur, et quanto plus mihi maledixerint, tanto mea in illis amplius deficit fortitudo\'.

iungitque uel propheta uel dominus et ait: fiat, domine, dirigentibus illis! hoc est: \'eueniant mihi maledicta, quae loquuntur inimici, et illi diligantur in bonum, si non in tempore tribulationis eorum et angustiae, quando eos uastabat inimicus et capere festinabat. steti in conspectu tuo et rogaui te pro illis et dixi: pater, ignosce eis; quod enim faciunt, nesciunt\'. sed et Hieremiam saepe deprehendimus in hoc uolumine rogasse pro populo.

Numquid foederabitur ferrum ferro ab aquilone et aes? Symmachus: numquid nocebit ferrum ferro ab aquilone et aes? LXX et Theodotio: si cognoscet ferrum et operimentum aeneum? Uarietatis causa perspicua; uerbum enim \'iare\', quod in praesenti loco scriptum est, pro ambiguitate enuntiationis et \'amicitiam\' sonat et \'malitiam\', quod, si pro \'res\' littera, quae \'daleth\' litterae similis estlegatur \'daleth\', scientiam cognitionemque\' significat. quod autem dicitur, sic intellegendum:

(ne doleas, quod populus inimicus tuus sit; te enim dura nuntiante non potest te amare, qui durus est\': siue Babylonii, qui ab aquilone ueniunt suntque ferrum durissimum, huic populo duriori et in aeris similitudinem indomito non poterunt amicitia copulari; sine ferrum durissimum. hoc est populus Israhel, dei cognitione indignus est, qui in tantam peruenit malitiam, ut duriore metallo, aere. circumdatus sit.

Diuitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo gratis —- siue absque pretio — in omnibus peccatis tuis in cunctis terminis tuis. et adducam inimicos tuos-siue seru i seruire te faciam inimicis tuis — de terra, quam nescis. quia ignis succensus est in furore meo; super uos ardebit. \'Omnem\', inquit, \'substantiam tradam inimicis tuis absque ullo pretio propter peccata, quae fecisti in cunctis terminis tuis. propterea adducam inimicos tuos siue seruire te faciam in terra Chaldaea, quia ignis meus, qui semel in meo furore succensus est, in te ardebit et extingui non poterit; tu enim praebuisti materiam ardoris tui, ut meus ignis tua, quae in te sunt, ligna consumat et faenum et stipulam\'. ac per hoc non est causa ardoris in domino, sed in his, qui fomenta incendio ministrarunt.

Tu scis, domine, recordare mei et uisita me et tu erue me ab his, qui persequuntur me! noli in patientia tua suscipere me; scito, quoniam sustinui pro te opprobrium! inuenti sunt sermones tui et comedi eos - siue ab his, qui reprobant sermones tuos; consume eos - et factum est mihi — siue erit mihi — uerbum tuum in gaudium et laetitiam cordis mei, quoniam inuocatum est nomen tuum super me, domine deus exercituum!

Hoc quod diximus: <tu scis\', in LXX non habetur. felix est autem illa conscientia, quae pro deo sustinet opprobrium. unde dicit: \'inuenti sunt sermones tui, quos meo ore loquebaris, et comedi eos, id est: in cibum mihi uersi sunt\'; siue iuxta

Symmachum: \'suscipiebam eos, ut mihi in laetitiam uerterentur, qui dudum fuerant in opprobrium\'.

unde et Babylonii confitentur impleta, quae Hieremias futura praedixerat. siue hic sensus est: \'sensi angustias, miserias pertuli populi persequentis, sed tamen gauisus sum me tuis paruisse praeceptis et propter tuum nomen dura perpessus sum\\

Non sedi in concilio ludentium et gloriatus sum; — siue metuebam — a facie manus tuae solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me. quare factus est d dolor o r meus perpetuus — siue quare, qui contristant me, confortantur - et plaga mea desperabilis rennuit curari — siue plaga mea fortis, unde curabor —? facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium siue quasi aqua mendax non habens fidem.

Haec Hebraei ex persona Hierusalem dici arbitrantur, quod sola sederit et amaritudine repleta sit et factus sit dolor eius perpetuus et, quomodo aquae pertranseunt, sic uerba prophetarum, quibus sibi prospera pollicebantur, transisse mendaciter. melius autem, ut ex persona prophetae haec dici accipiamus sermonibus sancti uiri, qui non sederit in concilio siue secreto ludentium, quod timuerit inpendentem sibi manum dei, siue magis gloriatus sit se malorum non . habere consortium.

solus, inquit, sedebam secundum illud, quod scriptum est: non sedi cum concilio uanitatis et cum iniqua gerentibus non introibo. odiuiecclesiam malignantium et cum impiis non sedebo; et in alio loco: solitarius sum ego, donec pertranseam. \'a facie\', inquit, \'manus tuae solus sedebam, dum te timeo, dum inpendentem mihi manum tuam semper exspecto. in concilio ludentium sedere nolui, sed meam amaritudinem.

deuorabam. ut in futuro mihi praepararem gaudium. nec habui interualla doloris mei, sed iugi miseria deprimebar, ut nulla . exspectarem remedia. praeualuerunt enim, qui contristabant me, et facta est plaga mea fortis. sed in hoc habui consolationem, quod fuerit quasi aqua mendax atque praeteriens. sicut enim aquae praetereuntes, dum fluunt, uidentur et labuntur, sic et omnis impetus inimicorum te adiuuante praeteriit\'.

utinam dominus praestet et nobis non sedere in concilio ludentium et eorum, qui futura non cogitant, nec aduersis cedere, sed semper dei sententiam formidare et dicere cum propheta: solus sedebam, quia amaritudine repletus sum! \'gaudeat igitur in praesenti tempore nequaquam concilium sapientium, sed arcanum secretumque ludentium, mihi adhaerere deo bonum sit, ponere in domino spem meam, saturari opprobriis et iudicis mei exspectare sententiam. quae, cum finis aduenerit, opere monstrabit omnem tristitiam et amaritudinem instar aquarum fluentiam recessisse.

Prop ter hoc haec dicit dominus: si conuerteris- teris, conuertam te et ante faciem meam stabis et, si separaueris pretiosum a uili, quasi os meum eris: conuertentur ipsi si ad te et tu noncnuerteris ad eos. et dabo te populo huic in murum aeneum, fortem et bellabunt aduersum te et non praeualebunt, quia ego tecum sum, ut saluum te faciam et eruam, dicit dominus. et liberabo te de manu pessimorum et redimam te de manu fortium siue pestilentium.

Manifestum est, quod superiora nequaquam Hierusalem, sed propheta dixerit. cui respondet dominus: \'si conuerteris a peccatis populum, et ego de tribulatione . conuertam te in laetitiam et stabis ante faciem meam, sicut angeli stant in conspectu dei cotidie uidentes faciem illius et, si separaueris pretiosum a uili, quasi os meum eris. nec putes\', inquit, <boni operis non esse mereedem; si sanctos quosque meos de numero peccantium tuis sermonibus segregaris, eris quasi os meum et meis praeceptis copulaberis. debent enim illi imitatores tui esse et non tu eorum.

nec reformides et dicas: quare factus est dolor meus perpetuus et plaga mea fortis siue desperabilis, ut me desperem posse curari? dabo enim te quasi murum aeneum atque fortissimum, ut contra aduersarium omni resistas robore et me habeas adiutorem et liberem te de manu pessimorum siue pestilentium et redimam te uel meo sanguine uel in praesentiarum meo auxilio\'. consideremus, quantam mercedem habeat sermo doctoris, si ualuerit ab, errore quempiam liberare et de peccantium numero educere!

Et factum est uerbum domini ad me dicens: noli accipere uxorem et non sint tibi filii et filiae in loco isto quia haec dicit dominus super filios et filias, qui generantur in loco isto, et super matres eorum, quae genuerunt eos, et super patres eorum, de quorumstirpe sunt nati in terra hac: mortibus aegrotationum rotationum morientur, non plangentur et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt et gladio et fame consumentur et erunt cadauera eorum in escam uolatili bus caeli et bestiis terrae.

Si tempore imminentis captinitatis uetatur propheta uxorem ducere, ne tribulationem carnis habeat et super dolorem proprium uxoris quoque ac liberorum miseriis torqueatur, quanto magis apostolus iubet, quia adbreuiatum tempus est et imminet consummatio, ut etiam, qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant!

unde superflua noui heretici reprehensio, qua docuimus digamiam et trigamiam non ex lege descendere, sed ex indulgentia. aliud est enim facere, quod per se bonum sit, aliud ideo concedi, ne peiora facias., dicit enim et ipse causas, cur uelit adulescentulas uiduas nubere, inferens: iam enim quaedam earum abierunt retro satanan. simulque praeceptor continentiae et perpetuae castitatis et aequalem se blasphemans deo laudat trina quaternaque coniugia, quae ego non tam coniugia dicam quam miseriarum solacia et extremam tabulam naufragorum; nisi forte

tribuit indulgentiam amazonibus suis, ut usque ad decrepitam senectutem bella libidinum experiantur.

cur autem propheta arceatur uxorem ducere, causa perspicua est, quod obsidione uicina pestilentia et gladio et fame uniuersi intereant et tantus sit numerus morientium, ut sepulturae uincatur officium, sed instar sterquilinii iaceant cadauera uolatilibus bestiisque laceranda.

et hoc notandum, quod aegrotationibus et longa infirmitate tabescere dei ira sit. unde et Ioram, filius Iosaphat, infirmitate consumitur et apostolus docet aegrotare eos et tabescere et mori, qui sancta uiolarint.

Haec enim dicit dominus: ne ingrediaris domum conuinii neque uadas ad plangendum neque consoleris eos, quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit dominus. misericordiam et miserationes. et morientur grandes et parui in terra ista, non sepelientur neque plangentur et non se incident neque caluitium fiet pro eis. et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo et matre. et domum conuiuii non ingredieris, ut sedeas cum eis et comedas et bibas.

Apostolus praecipit cum his, qui auersentur deum, nec cibum quidem esse sumendum; et amplius: ne haue quidem huiusmodi dixeritis! et saluator apostolis interdicit, ne quemquam salutent in itinere; unde et Heliseus salutationem pergentis ad sanandum puerum Giezi interdicit. moris autem est lugentibus ferre cibos et praeparare conuiuium, quae Graeci περίδειπνα uocant et a nostris uulgo appellantur \'parentalia\' eo, quod parentibus iusta celebrentur. dicit et alibi scriptura diuina: date uinum his, qui in luctu sunt, ut uidelicet obliuiscantur doloris.

praecipitur ergo prophetae, ne ullum de populo consoletur, ne se misceat inimicorum dei conuiuiis, ne iusta celebret super funeribus defunctorum. aliud est enim mori communi lege naturae, aliud dei occidisse sententia. ‘abstuli’, inquit, \'pacem meam a populo isto et misericordia indigni sunt nullique aetati parcam, sed et grandes et parui pariter interibunt, ita ut sepultura quoque careant\'. nec se incident, inquit, neque caluitium fiet pro eis.

mos hic fuit apud ueteres et usque hodie in quibusdam permanet Iudaeorum, ut in luctibus incidant lacertos et caluitium faciant; quod etiam Iob fecisse legimus. unde et prophetae dicitur, ne frangat inter eos panem nec ingrediatur ad consolandum pro mortuo, non potum tribuat, non ingrediatur domum conuiuii et ne misceatur eis, qui dei sententiae praeparati sunt. si autem hoc de lugentibus dicitur, quid fiet de hereticis, quorum sermo serpit ut cancer et cotidie prosternunt in ecclesia funera deceptorum?

Quia haec dicit dominus exercituum deus Israhel: ecce ego au feram de loco isto in oculis uestris et in diebus uestris uocem gaudii et uocem laetitiae, uocem sponsi et uocem sponsae.

et cum annuntiaueris populo huic omnia uerba haec et dixerint tibi: quare locutus est dominus super nos omne malum grande istud? quae iniquitas nostra et quod peccatum nostrum, quod peccauimus domino deo nostro?, dices ad eos: quia dereliquerant patres uestri me, ait dominus, et abierunt post deos alienos et seruierunt eis et adorauerunt eos et me dereliquerunt et legem meam non custodierunt. sed et uos peius operati estis quam patres uestri.

Quando peccarit ecclesia. aufertur de ea omne gaudium et uniuersa laetitia. de qua apostolus dicit: gaudete, iterum dico: . gaudete; uox sponsi et uox sponsae, de quo scriptum est: qui habet sponsam, sponsus est. \'si autem\', inquit, (interrogauerit te populus, cur ista patiatur, et causas miseriarum suarum quaesierit, respondebis eis: quia dereliquerunt patres uestri me, ait dominus, qui uobis praesunt in ecclesiis, et abierunt post deos alienos - quorum deus uenter est et auaritia et luxuria et gloria in confusione eorum — et seruierunt eis — a quo enim quis uincitur, eius et seruus est — et adorauerunt eos — adorat enim unusquisque, quod diligit—et me dereliquerunt et legem meam non custodierunt\'.

sacerdotum est proprie non solum docere, sed et facere legem, ut nequaquam uerbis subiectos sibi populos et creditum gregem, sed exemplis doceant. ac ne forsitan dicerent: (iniusta est sententia patres comedere uuam acerbam et dentes filiorum obstupescere\', infert: sed et uos peius operati estis quam patres uestri, ut super his, qui patribus peiora peccauerint, iusta supplicia deferantur.

Ecce enim ambulat unusquisque post prauitatem cordis sui mali, ut me non audiat. et eiciam uos de terra hac in terram, quam ignoratis uos et patres uestri, et seruietis ibi dis alienis die ac nocte, qui non dabunt uobis requiem .

Semel a domino derelicti faciunt ea, quae non conpetunt, ut uadant post desideria cordis sui mali, de quo exeunt cogitationes pessimae, et idcirco de ecclesia separantur, ut uadant in terram longinquam, quam nec ipsi nec patres eorum nouerant, priusquam peccarent, ut ibi seruiant dis alienis, qui non sunt di, sed eorum putantur errore. qui eos colunt.

quod autem intulit: r --\' *- \'die et nocte\', perpetuam peccantium ostendit in scelere perseuerantiam, dum et in diebus flagitiis et in noctibus libidini seruiunt. qui non dabunt, inquit, uobis requiem; hau dubium, quin falsos deos significet, de quibus dixit: et seruietis ibi dis alienis.

quicquid ergo peccamus, quicquid die et nocte facimus et malorum operum perpetramus, imperium est daemonum, qui numquam nobis dant requiem et semper inpellunt delictis augere delicta et cumulum facere peccatorum.

Propterea ecce dies ueniunt, dicit dominus, et non dicetur ultra: uiuit dominus, qui eduxit filios Israhel de terra Aegypti, sed: uiuit dominus, qui eduxit filios Israhel de terra aquilonis et de uniuersis terris, ad quas eieci eos; et reducam eos in terram suam, quam dedi pat ribus eorum.

Manifeste futura populi Israhel restitutio praedicatur et post captiuitatem misericordia, quae iuxta litteram sub Zorobabel et Hiesu pontifice et Ezra ex parte completa est, iuxta intellegentiam spiritalem uerius atque perfectius in Christo conplenda describitur. ‘ueniet’, inquit, \’tempus, quando nequaquam dicetur, quod populus reductus sit de Aegypto per Mosen et Aaron, sed reductus de terra aquilonis Cyro rege Persarum laxante captiuos\’.

et de uniuersis, inquit, terris; quod nequaquam Cyri tempore, sed ultimo fine conplebitur dicente apostolo: \’postquam subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israhel saluus fiet\’. possumus hoc et de persecutionibus, quae nostro accidere populo a diebus Neronis, de quo scribit apostolus: et liberatus sum de ore leonis, usque ad Maximini tempora dicere, quomodo dominus misertus sit populo suo et reduxerit eos in terram suam, hau dubium quin in ecclesiam, quam dedit patribus eorum, apostolis et apostolicis uiris.

Ecce ego mittam piscatores multos, dicit dominus, et piscabuntur eos; et post haec mittam ei.9 multos uenatores et uenabuntur eos de omni monte et de omni colle et de cauernis petrarum, quia oculi mei super omnes uias eorum. non sunt absconditae a facie mea et non fuit occulta iniquitas eorum ab oculis meis. et reddam primum duplices iniquitates et peccata eorum, quibus contaminauerunt terram meam in morticinis idolorum suorum et abominationibus suis impleuerunt hereditatem meam.

Diuersa huius capituli interpretatio est. Iudaei enim autumant significari Chaldaeos, qui sub piscatorum nomine describuntur, et postea Romanos. qui uenatoribus comparantur et de montibus collibusque et cauernis petrarum infelicem populum sunt uenati. hoc autem dominus fecisse se dicit, quia respexerit uias eorum et reddiderit iniquitates, quibus contaminauerant terram simulacra uenerantes, et abominationibus idolorum polluerint hereditatem eius.

nostri autem rectius et meims naec ae futuro uaticinatum prophetam putant. quia enim supra dixerat: reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum, nunc ostendit, quomodo reducendi sint, quod primum mittat apostolos, quibus saluator dixit: uenite post me et faciam uospiscatores hominum, et postea uenatores, quos uel ecclesiasticos uiros uel angelos possumus accipere, qui, postquam consummationis tempus aduenerit, uenentur sanctos quosque de montibus dogmatum excelsorum et de collibus bonorum operum et de cauernis petrarum, apostolis et apostolicis uiris.

non solum enim Christus petra, sed et retro apostolo donauit, ut uocaretur petra, in cuius sensibus requiescentes recte dicuntur translati esse de petra. ostenditque uel apostolos uel eos, qui postea uenandi sunt, habuisse peccata et recepisse duplices iniquitates suas. seruus enim, qui scit uoluntatem domini sui et non facit eam, uapulabit multum. sciendumque, quod in Hebraico positum sit \'primum\' et in LXX editione praetermissum.

quando autem dicit: reddam primum duplices iniquitates et peccata eorum, subostendit, quod, postquam receperint mala, recepturi sint et bona. hi autem, qui postea transferendi sunt, contaminauerunt terram domini in morticinis idolorum suorum et abominationibus suis impleuerunt hereditatem eius, ut omnis mundus subditus fiat deo et nequaquam suo merito, sed illius misericordia conseruetur. quod hic de Hebraico posuimus: non sunt absconditae a facie mea, in LXX non habetur.

Domine, fortitudo mea et robur meum et refugium meum in die tribulationis siue malorum ! Omnis hominum fortitudo sine dei uirtute, quae Christus est, imbecilla reputatur et nihili; unde confugiendum ad deum atque dicendum est: domine, refugium factus es nobis in generatione et generatione; et in alio loco: qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione dei caeli commorabitur.

dies autem tribulationis siue malorum illa intellegenda est, de qua dicit et apostolus: ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam et: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Ad te gentes uenient ab extremis s terrae et dicent: u ere mendacium possederunt patres nostri, uanitatem, quae eis non pro fuit. LXX: ad te gentes uenient t ab extremis terrae et dicent: quomodo falsa possederunt patres nostri idola et non est in eis utilitas!

Postquam eiectus est Israhei et a piscatoribus uenatoribusque translatus, consequenter uocatur ad fidem gentium multitudo et confitetur se siue patres suos in priore errore uersatos. qui autem dicunt: ‘quomodo falsa : possederunt patres nostri idola, in quibus nulla est utilitas!\', confitentur uera esse, ad quae transeant, et omni subnixa praesidio.

Numquid faciet sibi homo deos et ipsi non sunt d i? Et hoc gentes loquuntur, quae uenerunt ad saluatorem ab extremis terrae suggillantes ignorantiam tam suam quam maiorum suorum, qua putauerint ab homine fieri deos, cum dei sit homines facere.

Idcirco ecce ego ostendam eis per uicem hanc, ostendam eis manum meam et uirtutem meam et scient, quoniam nomen mihi dominus. Manus dei, per quam cuncta operatus est, et uirtus, de qua dixit apostolus: \'Christus dei uirtus et dei sapientia\', ostenditur gentibus filii passione conpleta.

pulchreque dixit: ‘ostendam eis per uicem hanc; ostendam autem manifeste et non ut prius in umbra et in imagine et uaticinio futurorum, ut, postquam cognouerint, sciant nomen meum audiantque a filio: pater, manifestaui nomen tuum hominibus’.

Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum — siue in pectore cordis eorum — et in cornibus altarium — siue ararum — eorum. De gentibus, quae ad dominum conuersae fuerant, supra dictum est: ecce ego ostendam eis per uicem hanc, ostendam eis manum meam et uirtutem meam; nunc de Israhele, qui abiectus est, loquitur: peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino et cetera.

quod cur a LXX praetermissum sit, nescio, nisi forsitan pepercerunt populo suo, sicut et in Isaia eos fecisse manifestum est: quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius, quia excelsus reputatus est ipse; multaque huiuscemodi, quae si uoluero cuncta digerere, non dicam libro, sed libris opus erit. gentium peccata deleta sunt, quia conuersae ad dominum ab extremis terrae audierunt illud: laudate dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi, quia confirmata est supernos misericordia eius et ueritas domini manet in aeternum; et de quibus dixerat ad Mosen: dimitte me, ut interficiam populum istum, et faciam te in gentem magnam.

peccatum autem Iuda indelebile atque, ut ita dicam, nulla ratione abolendum, scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino, qui Hebraice dicitur \’samir\’, non quo ullus ungues sit, qui appelletur \’samir\’, sed quo lapis adamantinus, qui ex eo, quod indomitus sit et infrangibilis, hoc nomen accepit, tantum nitorem habeat et leuitatem, ut absque ullo inpedimento scribi possit in eo stilo ferreo, ut dura ferri materies scribat in duriore tabula adamantina et duret, quod scriptum est, in perpetuum. ipsi enim dixerunt: sanguis eius super nos et super filios nostros.

unde et exaratum siue insculptum est in cornibus altarium — uel ararum — eorum, ut opera sacrilegii in aeternam memoriam perseuerent. si autem hoc ita est, ubi illud, quod anus delira confingit posse hominem sine peccato esse, si uelit, et facilia dei esse mandata?

Cum recordati fuerint filii eorum ararum suarum et lucorum lignorumque frondentium in montibus excelsis sacrificantes in agro, fortitudinem tuam et omnes thesauros tuos in direptionem dabo, excelsa tua propter peccata in uniuersis finibus tuis. et relinqueris sola ab hereditate tua, quam dedi tibi, et seruire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras, quoniam ignem succendistis in furore meo; usque in aeternum ardebit.

Et haec in LXX non habentur eadem, ut reor, causa, quam supra diximus, ne scilicet aeterna in eos sententia permaneret. relinqueris, ait, sola ab hereditate tua, quam dedi tibi, et seruire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras, uel sub Babyloniis

uel, ut est uerius, sub Romanis. ipsi enim succenderunt ignem et clementissimum dominum in furorem prouocarunt, qui ignis furoris eius ardebit in aeternum.

pudet me contentionis nostrorum, qui Hebraicam arguunt ueritatem. Iudaei contra se leguut et, quid pro se sit, nescit ecclesia. unde nos, qui sumus filii apostolorum, recordemur iniquitatum prioris populi et iuste eos perpessos esse testamur.

possunt autem \'excelsa\', quae Hebraice dicuntur \'bamoth\', et contra hereticos accipi, qui posuerunt in excelsum os suum et lingua eorum transiuit super terram, qui in tantam uaesaniam proruperunt, ut soli absque \'spiritus sancti gratia remanserint et perdiderint hereditatem domini, priorem uidelicet fidei ueritatem. unde et aeternum eis paratur incendium et seruitus daemonum, qui sunt inimici et ultores.

Haec dicit dominus: maledictus homo, qui confidit — siue spem habet — in homine et ponit carnem bracchium suum et a domino recedit cor eius. erit enim quasi myrice in deserto et non uidebit, cum uenerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et ininhabitabili .

bi maledictus est omnis homo, qui confidit in homine, Paulus autem Samosatenus et Fotinus, quamuis sanctum et cunctis excelsum uirtutibus praedicent saluatorem, tamen hominem confitentur, ergo maledicti erunt spem habentes in homine. quodsi nobis oppositum fuerit, quod et nos credamus in eo, qui dicit: nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui ueritatem uobis locutus sum, quam audiui a deo; hoc Abraham non fecit. uos facitis opera patris uestri, respondebimus illud apostolicum: etsi Christum aliquando iuxta carnem cognouimus, sed nunc iam non nouimus.

denique idem apostolus in principio epistulae suae scribit ad Galatas: Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et deum patrem, qui suscitauit eum a mortuis, et, qui mecum sunt, omnes fratres. si enim mors absorta est in uictoria, quare non carnis humilitas, quae propter humanam salutem assumta est, in diuinitatis transierit maiestatem, ut fecerit utrumque unum, et non adoremus creaturam, sed creatorem, qui est benedictus in saecula?

maledictus est igitur non solum, qui spem habet in homine, sed qui ponit carnem bracchium suum, id est fortitudinem suam, et quicquid egerit, non domini clementiae, sed suae putauerit esse uirtutis. qui enim hoc agit, a domino recedit cor eius asserens se posse, quod non potest. et erit quasi myrice — quae Hebraice dicitur \'aroher\' siue, ut interpretatus est Symmachus: lignum infructuosum in solitudine — et non uidebit, cum uenerint bona, quae uisura est gentium multitudo, sed habitabit in siccitate in deserto.

hoc de populo dicitur Iudaeorum, qui habitant in deserto fructusque non faciunt et sunt in terra salsuginis, quae nullos fructus faciat, et ininhabitabili, quae hospitem

non habet deum nec angelorum praesidia nec spiritus sancti gratiam nec scientiam magistrorum.

Benedictus uir, qui confidit in domino et erit dominus fiducia — siue spes - eius; et erit quasi lignum, quod transplantatum est — siue fructiferum — super aquas, quod ad umorem mittit radices suas; et non timebit, cum uenerit aestus, et erit folium eius uiride — siue ramusculi eius frondentes — et in tempore — siue anno — siccitatis non erit sollicitus — siue non timebit — nec aliquando desinet facere fructum.

IIIud de Iudaeis aictum sit et de hereticis, qui spem habent in nomine, m Christo uidelicet suo, quem non filium dei. sed purum hominem putant esse uenturum. e contrario uir ecclesiasticus, qui confidit in domino, audit illud: et scitote, quoniam dominus ipse est deus. confidit in domino et illi ligno conparabitur, de quo et in primo psalmo canitur: et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: et folium eius non defluet.

super aquas autem: spiritus sancti gratiam, diuersas donationes. quod ad umorem mittit radices suas: a domino accipiat ubertatem; sed et aliter possumus dicere, quod de siccitate Iudaica translati simus in baptismatis gratiam sempiternam.

et non, inquit, timebit, cum uenerit aestus — uel tempus persecutionis uel dies iudicii —; et erit folium eius uiride — siue erunt in eo ramusculi frondentes —, ut numquam timeat siccitatem, sed cunctarum uirtntum germinet gratia. cumque tempus siue annus uenerit siccitatis, non metuet, quando dominus iratus mandauerit nubibus. ne pluant super Israhel imbrem.

Quodque sequitur: nec desinet facere fructum, illum locum, qui in Marco scriptus est. quod uenerit dominus ad ficum et non inuenerit in ea fructus, quia necdum erat tempus, et maledixerit ei, ut fructus non faciat in aeternum, exponere poterit. qui enim confidit in domino et dominus est fiducia eius, etiam in tempore Iudaicae siccitatis non metuet, sed semper afferet fructus credens in eum, qui semel pro nobis mortuus est et ultra non moritur et dicit: ego sum uita.

Prauuni est cor omnium et inscrutabile; quis cognoscet illud? ego dominus scrutans cor et probans renes, qui do unicuique iuxta uiam et iuxta fructum adinuentionum suarum. LXX: profundum est cor super omnia et homo est; quis cognoscet eum? et cetera similiter. Uerbum Hebraicum \'enos\' quattuor litteris scribitur, \'aleph\' et (nun\' et <uau\' et \'sin\'; si igitur legatur \'enos\', \'homo\' dicitur; si autem ‘anus’, ‘inscrutabile’ siue \'desperabile\' eo, quod nullus cor hominum ualeat inuenire.

Symmachus uero hunc locum ita interpretatus est: inscrutabile cor omnium; uir autem quis est, qui inueniat illud? solentque nostri bono quidem uoto, sed non secundum scientiam uti hoc loco contra Iudaeos, quod homo sit dominus atque

saluator secundum dispensationem carnis assumtae nullusque possit natiuitatis eius scire mysterium secundum illud, quod scriptum est: generationem eius quis enarrabit?, nisi solus deus, qui arcana rimatur et reddit unicuique secundum opera sua.

melius autem est, ut simpliciter accipiamus, quod nullus cogitationum secreta cognoscat nisi solus deus; dixerat enim supra: maledictus homo, qui spem habet in homine, et e contrario: benedictus uir, qui confidit in domino.

unde, ne hominum certum putaremus esse iudicium, intulit omnium propemodum corda esse peruersa dicente psalmista: ab occultis meis munda me, domine, et ab alienis parce seruo tuo — hau dubium quin cogitationibus — et in Genesi: uidens autem deus, quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta ess-et ad malum omni tempore, et iterum: sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adulescentia sua. per quae discimus deum solum nosse cogitationes eorum. si autem de saluatore dicitur: uidens autem Iesus cogitationes eorum nullusque potest uidere cogitationes nisi solus deus, ergo Christus deus est, qui scrutatur corda et probat renes et reddet unicuique iuxta opera sua.

Perdix fouit — siue congregnuit . quae non pcperit — et ut LXX transtulerunt: clamauit perdix, congregauit, quae non peperit —, facitdiuitias suas non cum iudicio; in dimidio dierum suorum relinquet eas — siue in dimidio dierum eius relin- quent eum — et in nouissimo suo erit insipiens.

Aiunt sQriptores naturalis historiae, tam bestiarum et uoiucrum quam arborum herbarumque, quorum principes sunt apud Graecos Aristoteles et Theophrastus, apud nos Plinius Secundus, hanc perdicis esse naturam, ut oua alterius perdicis, id est aliena, furetur et eis incubet foueatque, cumque fetus adoleuerint, auolare ab eo et alienum parentem relinquere.

huiuscemodi diuites sunt, qui aliena diripiunt et absque recogitatione iudicii dei faciunt diuitias non cum iudicio, quas in medio tempore derelinquunt subita morte subtracti, quando dicitur eis: stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; quae autem praeparasti, cuius erunt? nihilque insipientius non prouidere nouissima et breuia putare perpetua.

alii uero et propter superiorem historiam et propter alteram, qua dicunt perdicem esse pugnacissimum et inmundum, ita ut uictum polluat, diabolum sub eius nomine interpretantur, quod alienas sibi diuitias congregarit dicens ad dominum: haec omnia tibi dabo, si cadens adoraueris m e. quem relinquent diuitiae suae. quae male ab eo fuerant congregatae, et per apostolos reuertentur ad dominum et, qui t sibi uidebatur esse prudentissimus, erit omnium iudicio insipiens.

quoaque a LAA dicitur: clamauit perdix, ad hereticorum personam referendum est, quod perdix iste diabolus clamauerit per principes hereticorum et congregauerit,

quae non peperit, et deceptorum sibi multitudinem congregarit, quae postea dimittat eum, et omnium iudicio stultissimus conprobetur.

Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae, exspectatio Israhel, domine, omnes. qui te relinquunt, confundentur! recedentes in terra scribantur, quoniam dereliquerunt uenam — siue fontem — aquarum uiuentium, dominum.

Perdice propter suam stultitiam derelicto exspectatio Israhel, id est populi dei et credentis in dominum, ipse est, qui fecit omnia, cuius solium gloriosum et excelsum est a principio locusque sanctificationis omnium credentium, ut non in loco sit dominus, sed ubi ille fuerit, locus sanctificatus sit. e contrario, qui derelinquunt dominum, confundentur . confusione perpetua et recedentes siue declinantes ab eo scribentur in terra deleti de libro uiuentium.

sicut enim, qui potest cum apostolo dicere: noster autem municipatus in caelo est. in caelestibus scribitur. sic. qui relinquit dominum uel declinat ab eo, scribetur in terra cum bis, qui terrena sapiunt. causaque manifesta, cur scribantur in terra, quia reliquerunt fontem uitae, dominum, siue fontem aquarum uiuentium, dominum, qui loquitur in euangelio: si quis sitit, ueniat ad me et bibat! qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquae uiuae. hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes.

Sana me, domine. et sanabor: saluum me fac, et saluus ero, quoniam laus mea tu es! Multi medici in euangelio aemorousam curauerant, quae omnem substantiam suam perdiderat in eis et tamen a nullo curari potuit nisi ab eo, qui uerus est medicus et cuius sanitas in pennis eius. unde et nunc propheta a populo passus opprobria et crebro insidiis circumuentus ab eo curari et saluus fieri cupit, cuius uera laus ueraque medicina est.

Ecce ipsi dicunt ad me: ubi est uerbum domini? ueniat! ego autem non sum turbatus te pastorem sequens — siue non laboraui sequens te — et diem hominis non desideraui: tu scis. quod egressum est de labiis meis, rectum fuit in conspectu tuo -sine ante faciem tuam est —. non sis mihi tu formidini, spes mea in die afflictionis siue non fias mihi alienus parcens mei in die pessimo!

Qui non putant uentura, quae dicta sunt, loquuntur ad prophetam: ubi est uerbum domini? ueniat! dissimulationem sententiae dilationem arbitrantes. illis autem inquit ista dicentibus: \'ego non sum turbatus nec laboraui te pastorem sequens siue post tua ingrediens . uestigia; nec hoc fui fine contentus, sed diem hominis non desideraui uel uitam longiorem uel prospera quaeque huius saeculi\'. ipsumque uocat testem, quem et iudicem: tu nosti. sequitur: quod egressum est de labiis meis.

rectum fuit in conspectu tuo, ut numquam mentitus sit, ut domini uoluntati aduersa non dixerit. non sis, inquit, mihi tu formidini, spes mea in die afflictionis! quod perspicuum est iuxta Hebraicum;

iuxta id uero, quod LXX transtulerunt dicentes: ne fias mihi in alienum parcens mihi in die malo, est sensus: \'ne parcas mihi in praesenti saeculo. quod malum est. sed redde mihi iuxta peccata mea, ut requiem habeam sempiternam! scio enim scriptum: quem diligit dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit.\' dies autem malus uel omne saeculum est uel dies iudicii his, qui propter peccata cruciantur.

Confundantur, qui persequuntur me, et non confundar ego! paueant illi et non paueant ego! induc super eos diem afflictionis et duplici contritione contere eos! Inprecatur aduersum eos propheta, qui exprobrant ei uerbum domini et dicunt: ubi est uerbum domini? ueniat, ut confundantur, qui persequuntur eum, et erubescant et redeant ad salutem, ut illi paueant mentientes et non iste, qui uera praedicit. cumque dies ultionis aduenerit, duplici contritione conterat eos, fame et gladio.

Haec dicit dominus ad me: uade et sta in porta — siue in portis — filiorum populi, per quam — siue per quas — ingrediuntur reges Iudae et egrediuntur, in cunctis portis Hierusalem et dices ad eos: audite uerbum domini, reges Iuda et omnis Iuda — siue Iudaea — cunctique habitatores Hierusalem, qui ingredimini per portas has! \'Quoniam\'.

inquit, \'uerba tua audire contemnunt nec ad te ueniunt, ut requirant, quae sit sententia dei, tu perge ad locum celeberrimum uel portarum templi uel urbis, per quas reges et omne uulgus ingreditur et egreditur, ut necessitate cogantur audire et inportune oportune praedices uerbum dei nec ulla apud eos remaneat excusatio, quod ideo non fecerint. quia non audierint.\'

Haec dicit dominus: custodite animas uestras et nolite portare pondera in die sabbati nec inferatis per portas Hierusalem! et nolite cicere onera de domibus uestris in die sabbati et omne opus non facietis et sanctificate diem sabbati, sicuti praecepi patribus uestris! et non audierunt nec inclinauerunt aurem suam et indurauerunt ceruicem suam — et quod in Hebraico non habetur: super patres suos —, ne audirent me et ne acciperent disciplinam.

et erit, inquit. si audieritis me, dicit dominus. ut non inferatis onera, per portas ciuitatis huius in die sabbati, et si sancti- ficaueritis diem sabbati, ne faciatis in ea omne opus: ingredientur per portas ciuitais huius reges et principes sedentes super solium. Dauid et ascendentes in curribus et equis, ipsi et principes eorum, uiri Iuda et habitatores Hierusalem, et habitabitur ciuitas haec in sempiternum.

et uenient de ciuitatibus Iuda et de circuitu Hierusalem et de terra Beniamin et de campestribus et de montuosis et ab austro portantes holocaustum et uictimas

- siue thymiamata - et sacrificium - sine manna — et tus et inferent oblationem — sine laudem — in domum domini.

si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati et ne portetis onus et ne in feratis per portas Hierusalem in die sabbati, succendam ignem in portis eius et deuorabit domos Hierusalem et non extinguetur.

Ne praeceptum sabbati instauratum per Hieremiam in frusta discerperem, totum ponere placuit, ut simul omnia cognoscamus. custodit animam suam, qui non portat pondera peccatorum in die quietis et sabbati nec infert ea per portas Hierusalem. quas uirtutes debemus accipere. et nolite, inquit, eicere onera de domibus uestris — non enim portanda sunt, sed penitus abicienda — et omne opus ne faciatis uel seruile uel illud, de quo scriptum est: esca uentri et uenter escis: deus autem et hunc et illa destruet— , sed illud opus operandum, de quo saluator loquitur: opera. mini opus, quod non perit?\'

sanctificate, inquit, diem sabbati, ut omne tempus uitae nostrae in sanctificatione I ducamus, sicut fecerunt patres nostri Abraham, Isaac et Iacob. cumque ista praeceperit deus, non inclinauerunt aurem suam — mentis utiquenon carnis —,sed indura ueruntceruicem suam reicientes iugum legis et per μεταφοαὺ indomitorum animalium habentes similitudinem.

uideamus. quod sit praemium eorum, qui non portant onera in die sabbati et sanctificant illum, ingredientur, ait, per portas ciuitatis huius reges. quorum cor in, manu dei est et qui regnant corporibus suis, et principes sedentes super solium Dauid, ut Christi imitentur exemplum, et ascendentes in curribus et equis, de quibus scriptum est: currus dei decem milibus, multiplex, milia laetantium; dominus in eis in Sinai, in sancto, et alibi: equitatio tua salus, omnis uir, qui confitetur deum et qui habitat in Hierusalem, de qua dictum est: factus est in Salem, id est in pace, locus eius et habitatio eius in Sion, et habitabitur ecclesia dei in aeternum.

uenientque de ciuitatibus Iuda et de circuitu Hierusalem, de quibus iam diximus, et de terra Beniamin, qui filius est uirtutis et dexterae, et de campestribus, quod Hebraice dicitur \'sefela\' et planam historiae significat intellegentiam, et de montuosis, excelsis uidelicet dogmatibus, et ab austro, I de quo scriptum est: deus ab austro ueniet, unde calor et plena lux et ubi omne frigus expellitur.

portantes, ait, holocausta — se ipsos consecrantes deo — et uictimam siue thymiama, ut dicant: sacrificium domino spiritus contribulatus et: Christi bonus odorsumus inomni loco et alibi: dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; et sacrificium, pro quo LXX ipsum uerbum posuere Hebraicum \'manaa\', quod pessima consuetudine, immo scriptorum neglegentia, \'manna\' in nostris libris legitur, et tus, de quo dictum est: ut quid mihi affertis tus de Saba?, et inferent oblationem, quae Hebraice • dicitur \'thoda\' et in \'gratiarum actionem\'

uerti potest et quam \'laudem\' LXX transtulerunt. in domum Dauid. hau dubium quin in ecclesiam.

haec sunt praemia eorum, qui sanctificant: sabbatum et nullo pondere praegrauantur. \'si autem.\' inquit, \'non audieritis praecepta mea et feceritis, quae non facienda mandaui, succendam ignem in portis eius\' — id est Hierusalem, illum, de quo dicitur: omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum —, \'qui deuoret domos siue uicos Hierusalem\' — quos LXX ἄμφοδα, Aquila et Symmachus βάρεις, id est \'turritas domos,\' interpretati sunt appellanturque Hebraice \'armanoth\' — \'et numquam hoc extinguetur incendium\' dicente apostolo: uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit et iterum: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

sin autem nostri ludaizantes explanationem tropicam repudiarint, aut Iudaei esse cogentur et cum obseruatione sabbati circumcidere praeputia aut certe reprehendere saluatorem, qui iussit in sabbato paralytico, ut portaret lectulum suum euangelista dicente: propterea magis quaerebant eum Iudaei interficere, non solum quia soluebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat deum aequalem se faciens deo.

Liber Qvartus

Semper diabolus bono operi imminet, ubique gradientibus ponit laqueos narrante propheta de satellitum eius insidiis: iuxta semitam scandalum posuerunt mihi et euangelio hoc ipsum plenius instruente, quod uolatilia caeli iuxta uiam iacta semina diripiant atque disperdant.

cur hoc principio, frater Eusebi, usus sim, sequens sermo monstrabit. multis et de toto huc orbe confluentium turbis et sanctorum fratrum monasteriique curis occupatus commentarios in Hieremiam per interualla dictabam, ut, quod deerat otio, superesset industriae, cum subito heresis Pythagorae et Zenonis ἀπαθείας et ἀναματησίας, id est \'inpassibilitatis\' et \'inpeccantiae,\' quae olim in Origene et dudum in discipulis eius Grunnio Euagrioque Pontico et Iouiniano iugulata est, coepit reuiuescere et non solum in occidente, sed et in orientis partibus sibilare et in quibusdam insulis, praecipueque Siciliae et Rhodi, maculare plerosque et crescere per dies singulos. dum secreto docent et publice negant.

cui respondere diu tacens et dolorem silentio deuorans crebra fratrum expostulatione conpulsus sum, nec tamen hucusque prorupi, ut auctorum nomina ponerem malens eos corrigi quam infamari; neque enim hominum, sed erroris inimicus sum. qui, mihi ut uicem talionis et genuinum sui doloris inliderent, ueteres magistrorum suorum calumnias concinnantes in tantum elingues et miseri demonstrati sunt. ut ne male dicere quidem suis uerbis potuerint.

quorum tunc temporis editis aduersum eos libris neniae confutatae sunt: quos qui legere uoluerint, liquido peruidebunt canes eos iuxta lsaiam esse mutos. qui latrare nesciant habentes quidem 20 uoluntatem et rabiem mentiendi, sed artem fingendi et latrandi non habentes.

quibus loquar compendio: aut bona sunt, quae docetis, aut mala. si bona, defendite libere; si mala, quid occulte miseros errore iugulatis rectaeque fidei ad decipiendos simplices quosque iactatis expositionem? quae si uera est, cur absconditur? si falsa, cur scribitur? rogo. quae est ista insania? praecipiente apostolo, ut parati simus ad satisfaciendum omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est, spe, et propheta clamante: loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum et non con-

fundebar, isti publicum fugiunt et susurrant in angulis perditorum dolentque quasi pro suis, quae sua metuunt coner.

cumque generaliter aduersum uma quid et hereticos dixerimus, se peti queruntur malumque conscientiae dissimulata diu indignatione pronuntiant. quodsi cauendum nobis est, ne ueterem laedere uideamur necessitudinem. si superbissimam heresin spiritali mucrone truncemus, ergo sustinendae nobis erunt cruces proditae fidei et dicendum cum propheta: uersatus sum in miseria, dum mihi infigitur spina.

quin potius audiant illud apostolicum: oboedire deo magis oportet quam hominibus et iterum: si hominibus placerem, Christi seruus non essem. uerum haec in proprio, nisi tacuerint, opere plenius exsequemur. nunc coeptum in Hieremiam carpamus iter et quartum in eum uolumen breuiter transcurrentes in his tantum. quae obscura fuerint, inmoremur.

Uerbum, quod factum est ad Hieremiam a domino dicens: surge et descende in domum figuli, et ibi audies uerba mea! et descendi in domum figuli et ecce ipse faciebat opus super rotam — siue lapides —. et dissipatum est uas, quod ipse faciebat e luto manibus suis; conuersusque — siue et rursum - fecit illud uas alterum, sicut placuerat in oculis eius, ut faceret.

et factum est uerbum domini ad me dicens: numquid sicut figulus iste non possum facere uobis, domus Israhel? ait dominus; ecce sicut lutum in manu figuli, sic uos in manu mea, domus Israhel! repente — siue ad summam — loquar aduersum gentem et aduersum regnum, ut eradicem — siue auferam — et destruam et disperdam illud.

si paenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersum eam. agam et ego paenitentiam super malo, quod cogitaui, ut facerem ei. et subito — siue ad summam — loquar de gente et regno, ut aedificem et ut plantem illud. si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat uocem meam, paenitentiam agam s u per bono. quoa locutus sum, ut facerem ei.

Per omnes quidem sensus ad iudicium et intellegentiam animi peruenitur. auditu. odoratu, gustu, tactu, sed magis mente retinetur, quod oculis cernitur. unde iubetur propheta ire ad domum figuli et ibi domini audire praecepta. \'cumque,\' ait, (perrexissem et descendissem in domum figuli, faciebatipse opussuperrotam,\' quam LXX uerbi ambiguitate seducti \'lapides\' transtulerunt; \'abanim\' enim pro qualitate loci et diuersitate pronuntiationis et \'organum\', id est \'rota\' figuli, uocatur et \'lapides\'.

cumque, inquit, \'cernerem uas e luto fieri, subito dissipatum est hoc dei agente prouidentia, ut manus artificis, dum nesciret, errore suo parabolam figuraret. rursumque ille figulus, qui uas e luto rota currente perdiderat, fecit aliud sibi, ut ei

uisum est. statimque dominus ad prophetam: \'si figulus,\' ait, \'hanc habet potestatem. ut ex eodem luto rursum faciat, quod fuerit dissipatum, ego in uobis, qui, quantum in uobis est, perisse

uidemini, hoc facere non potero?\' et ut liberum signiticaret arbitrium, dicit se et mala annuntiare genti et regno illi uel illi et rursum bona; nec tamen hoc euenire, quod ipse praedixerit. sed e contrario fieri. ut et bona malis eueniant, si egerint paenitentiam, et bonis mala, si post repromissiones fuerint ad peccata conuersi. et hoc dicimus, non quo ignoret deus hoc uel illud gentem aut regnum esse facturum, sed quod dimittat hominem uoluntati suae, ut uel praemia uel poenas suo merito recipiat.

nec statim totum erit hominis, quod eueniet, sed eius gratiae, qui cuncta largitus est; ita enim libertas arbitrii reseruanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris iuxta illud propheticum: nisi dominus aedificauerit domum. in uanum laborauerunt. qui aedificant eam; nisi dominus custodierit ciuitatem. in uanum uigilauit, qui custodit eam. non enim uolentis neque currentis, sed miserentis est dei.

Nunc ergo dic uiro Iudae et habitatori Hierusalem dicens: haec — siue sic — dicit dominus: ecce ego ego contra uos malum et cogito contra uos cogitationem; reuertatur unusquisque a uia a mala et dirigite uias uestras et studia uestra! qui dixerunt: des desperauimus — siue confortabimur -: post cogitationes enim nostras ibimus et unusquisque prauitatem — siue quod placuit cordi suo malo — faciemus. ideo haec dicit dominus: interrogate gentes: quis audiuit talia horribilia, quae fecit nimis uirgo Israhel?

Implet dominus parabolam. quam et aspectu et sermonibus docuerat. et dicit: \'ecce ego fingo contra uos malum quasi figulus lutum\' — malum autem iuxta Isaiam, qui dicit: faciens pacem et creans malum, non quo per se malum sit, sed quod patientibus malum esse uideatur — et cogito contra uos cogitationem\' — id est pro merito inferre sententiam —; (mutate opera et dirigite uias uestras, ut et prosperis -poena mutetur!

\' \'qui/inquit, \'e contrario dixerunt: confortabimur\' — in malis uidelicet operibus siue iuxta Aquilam desperauimus us et iuita Symmachum defecimus, quod utrumque offendit deum, ut aut nequaquam se putet posse saluari aut ad placandum deum animo defecisse — et post cogitationes,\' inquit, \'nostras ibimus.\' ubi est ergo absque gratia 9::rlń:,.

t dei liberi arbitrii potestas et propriae indicium uoluntatis, cum grandis offensa sit dei sequi cogitationes suas et praui cordis facere uoluntatem? propterea infert dicens: \'interrogate gentes et omnes in circuitu nationes, quis fecerit. quis audierit idolis seruiens, quae fecit nimis uirgo Israhel.\' uirginem autem uocat eo, quod uni

deo seruierit dicente propheta: notus in Iudaea deus, in Israhel magnum nomen eius.

Numquid deficiet de petra r a agri nix Libani? aut anelli possunt aquae erumpentes frigidae et defluente? LXX: numquid deficient de petra ubera aut nix de Libano? aut declinabit aqua uiolenter sublata uento?

Tale quid et illud Uerguianum sonat. ante leues ergo pascentur in aethere cerui et freta destituent nudos in litore pisces, quam nostro illius labatur pectore uultus: et in alio loco: in freta dum fluuii current, dum montibus umbrae lustrabunt, conuexa polus dum sidera pascet, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

\'quomodo,\' inquit, nix de Libani summitatibus deficere non potest nec ullo. ut omnis liquescat, solis ardore superatur fluentesque de montibus riui nequaquam siccantur in fontibus, sic meum nomen, quod per se stabile est atque perpetuum, non poterit immutari; et tamen, cum cetera naturae ordinem seruent, populus meus oblitus est mei.\' sequitur enim:

Quia oblitus est mei populus meus frustra libantes et inpingentes in uiis suis, in semitis saeculi - siue sempiternis —, ut ambularent per eas in itinere non trito. Qui obliuiscitur dei et relinquit eum, qui dicit: ego sum uia, libatque dis alienis, inpingit in uiis suis - nequaquam dei, sed suis — et antiquas sempiternasque semitas derelinquit, quae omnium sanctorum sunt tritae uestigiis colentium deum. isti uero ambulauerunt in itinere non trito et relicto cultu dei idola uenerati sunt; propter quae infertur poena. Quae sequitur:

Ut fieret terra eorum in desolationem et in sibilum sempiternum; omnis, qui praeterit per eam, obstupescet et mouebit caput suum. \'Et quia dereliquerunt,\' ait, \'cultum dei et prauas idololatriae semitas sunt secuti, propterea terra eorum redacta est in solitudinem et in miraculum omnium sibilumque, ita ut, qui terram quondam et urbem florentissimam uiderint in desertum et cineres esse conlapsam, ammirentur et stupeant et animae confusionem gestu corporis indicent:\' hoc est enim mouere caput et stuporem mentis sibilo demonstrare.

quod plenius et rectius post aduentum domini intellegimus esse conpletum, quando nullus Iudaeorum terram quondam et urbem sanctam ingredi lege permittitur, sed cum ad planctum uenerint, mirantur et deflent uaticinia prophetarum opere completa.

Sicut uentus urens dispergam eos co ram inimico - siue inimicis —: dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. Usque hodie sententia dei permanet in Iudaeis; in toto orbe dispersi sunt coram inimico diabolo uel inimicis daemonibus et, cum diebus ac noctibus in synagogis satanae innocent nomen dei, dorsum et non faciem suam ostendit eis deus. ut intellegant eum semper recedentem et numquam ad se uenientem.

dies autem perditionis Iudaicae omne tempus est post passionem saluatoris usque ad consummationem saeculi, ut, postquam subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israhel saluus fiat.

Et dixerunt: uenite et cogitemus contra Hieremiam cogitationes! non enim peribit lexa sacerdote neque consilium a sapiente nec sermo a propheta; uenite et percutiamus eum lingua et non attendamus ad uniuersos sermones eius!

Ista et tunc Iudaeorum contra Hieremiam siue dominum saluatorem et hodie hereticorum contra seruos eius cogitatio est, ut calumnias struant et sanctos uiros accusatione praeueniant nec cogitent, quid illi ueritatis loquantur, sed quid ipsi struant mendacii; iactant enim in sacerdotibus et in sapientibus et pseudoprophetis suis legem dei et consilium et eloquium permanere dicente scriptura: in peruersam animam non intrabit sapientia.

Attencle, domine, ad me et audi nocent aduersariorum meorum! numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animae meae? recordare, quod steterim in conspectu tuo. ut loquerer pro eis bonum et auerterem i indignationem tuam ab eis.\' propterea da filios eorum in famem et absque eos in manus gladii; fiant uxores eorum absque liberis et uiduae et uiri earum interficiantur morte, in ue nes corum confodiantur gladio in proelio, audiatur clamor de domibus eorum!

In typo quidem saluatoris haec a populo Iudaeorum Hieremias uniuersa perpetitur, qui postea Babylonio ueniente uastantur; sed plenius atque perfectius conplentur in Christo. et urbe subuersa Romano gladio trucidati sunt non ob idololatriam, quae eo tempore non erat, sed ob interfectionem filii dei, quando cunctus simul populus conclamauit: tolle, tolle talem; non habemus regem nisi Caesarem!

et inprecatio eorum aeterna damnatione conpleta est: sanguis eius super nos et super filios nostros! foderant enim Christo foueam et dixerant: auferamus eum de terra uiuentium! qui tantae erga eos misericordiae fuit et stetit in conspectu patris, ut loqueretur pro eis bonum et auerteret indignationem illius ab eis, ut in cruce quoque diceret: pater, ignosce eis! quod enim faciunt, nesciant.

manifesta transcurnmus, ut in obscurioribus immoremur nequaquam deliramenta quorundam et captiuitatem caelestis Hierusalem interpretantes, sed perspicuam historiam et manifestissimam prophetiam omni uerborum et sensuum confidentia persequentes.

Adduces enim super eos latronem r repente. quia foderunt foueam, ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. tu autem, domine, scis omne consilium eorum aduersum me in mortem,: ne propitieris iniquitati eorum et peccatum eorum a facie tua non deleatur; fiant corruentes — siue inpingentes — in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis siue fac in eis!

Si de Hieremia intellegimus, repentinum latronem referamus ad Nabuchodonosor: si de saluatore. quod uerius et melius est, ad Romanum exercitum. et ne iniusta uideatur sententia dei, exponit, quid fecerint contra Christum, filium dei, et quid passi sint.

quod autem infert: ne propitieris iniquitati eorum et peccatum eorum a facie tua non deleatur, nequaquam priori sententiae contrarium est, in qua pro populo deprecatur patrem; sed postquam datum tempus paenitentiae praeteriit et illi in suo scelere perseuerant, non tam pro se puniuntur quam pro aliis, ne inultum peccatum ceteris noceat exemplo.

quodque infert: fiant inpingentes — siue corruentes — in conspectu tuo. illius Isaiae et Petri apostoli simile est: et non inpingetis sicut in lapidem offensionis et petram scandali: cuius et in psalmis propheta meminit: lapidem, quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a domino factum est h o c.

Haec dicit dominus: uade et sume lagunculam figuli testeam et de senioribus populi ac de senioribus sacerdotum et egredere ad uallem filii Ennom, quae est iuxta introitum portae fictilis — siue Charsitlt —, et praedicabis — siue clamabis uel leges — ibi uerba, quae ego loquar ad te, et dices: audite uerbum domini, reges Iudae e habitatores Hierusalem!

Pro \'laguncula figuli\', quae Hebraice dicitur \'bocboc\', LXX \'doliolum\' transtulerunt et pro porta fictili\' Aquila, Symmachus et Theodotio ipsum uerbum posuerunt Hebraicum \'Harsith\', pro quo LXX iuxta morem suum pro adspiratione \'heth\' litterae addiderunt \'chi\' Graecum, ut dicerent \'Charsith\' pro \'Harsith\', sicut illud est pro \'Hebron\' \'Chebron\', et pro \'Hieriho\' <Hiericho>.

uult autem scriptura diuina non solum auribus doceri populum, sed et oculis; magis enim, ut iam diximus, mente retinetur, quod uisu quam quod auditu ad animum peruenit. tolle. inquit. lagunculam - siue doliolum testeum — et de senioribus: populi ac sacerdotum et egredere ad uallem filii Ennom, de qua supra diximus, ubi erat delubrum Bahal et nemus ac lucus Siloae fontibus irrigatus. \'ipsa autem,\' inquit, \'uallis iuxta portam est.\' quae Hebraeo sermone \'Harsith\', hoc est \'fictilis\', appellatur.

\'et praedicabis — uel leges — ibi uerba. quae ego loquar tecum, ut ibi audiantur quae dicturus sum: ideo autem, ut iam diximus, et \'praedicabis\' et \'clamabis\' et \'leges\' ponitur, quia uerbum Hebraicum \'carath\' tria significat. uultque, quae dicturus est, et reges luda audire et habitatores Hierusalem, id est et stirpis regiae et omnem populum, ut inexcusabiles sint. qui audire noluerint.

Haec dicit dominus exercituum deus Israhel: ecce ego inducam a fflictionem — siue mala — super locum istum, ita ut omnis, qui audierit illam - siue illa —, tinniant

aures eius eo, quod dereliquerint me et alienum fecerint locum istum et libauerint in eo dis alienis, quos nescierunt ipsi et patres eorum et reges luda; et repleuerunt locum istum sanguine innocentium et aedificauerunt excelsa Bahalim ad comburendos filios suos igne in holocaustum Bahalim, quae non praecepi - siue cogitaui — nec locutus sum nec ascenderunt in cor meum.

Et hunc locum stulte quidam ad caelestem referunt Hierusalem. quod ne semper ammoneam, tantum hoc dixisse sufficiat uitandam istiusmodi explanationem. immo heresim, quae manifesta subuertit et praestigias quasdam ecclesiis Christi conatur inducere. nulli autem dubium, quin in templo dei Bahal idolum posuerint siue in delubro, quod erat in ualle filii Ennom, ubi et lucus Bahal et ara eius fuit, super quam immolauerunt et incenderunt filios suos.

quae dominus nec cogitauit nec locutus est nec ascenderunt in cor eius, non quo deus futura nescierit, sed quo indigna sua notitia ignorare se dicat iuxta illud euangelicum: recedite a m e, operariiiniquitatis, nesciouos! nouit enim dominus eos, qui sui sunt, et qui ignorat, ignorabitur. uel certe ἀνθρωποπαθῶς et haec de deo accipienda sicut et alia.

omnis autem bereticus derelinquit deum et alienum facit locum habitatione dei, quem sua fraude polluerit, et libat dis alienis, quos nec ipse nouerat nec patres eius, apostoli uidelicet et apostolici uiri; reges autem luda, hoc est hereticorum patriarchae, implent locum quondam dei sanguine deceptorum et innocentium — nisi enim stultus et simplex fuerit, non cito subuertitur — et aedificant excelsa Bahalim, dum de sublimibus disputare se dicunt, et comburunt filios suos idolo, quos in heresi genuerint. quae omnia dominus ignorare se dicit nec umquam ascendisse in cogitationem suam.

Propterea ecce dies ueniunt, dicit dominus, etnonuocu.br:trcrlocusi.steamplius To feth et uallis et non uocabitur locus iste amplius Tofeth et uallis filii Ennom. sed uallis occisionis. LXX: idcirco ecce dies ueniunt, dicit dominus, et non uocabitur locus iste amplius ruina et πολάνδριον filii Ennom, sed πολο άνδριον occisionis.

Quae sit uailis filii Ennom, quae Hebraice dicitur \'gehennom.\' unde et \'gehennam\' appellatam putant, supra diximus. miror autem, quid sibi uoluerint LXX pro \'Tofeth\' διάπτωσν, hoc est \'ruinam\', ponere et pro \'ualle\' πολυάνδιον, quod significat \'uirorum multitudinem,\' nisi forte ex eo, quod ibi populus corruerit et caesa sit hominum multitudo uel spiritaliter in errore idololatriae uel iuxta litteram a Babylonio exercitu, quod in consequentibus manifestius legitur.

Et dissipabo consilium Iudae et Hierusalem in loco isto ei subuertam eos gladio in conspectu inimicorum I suorum et in manu quaerentium animas eorum et dabo cadauera eorum escam uolatilibus caeli et bestiis terrae et ponam ciuitatem hanc in stuporem et in sibilum; omnis, qui praeterit per eam, obstupescet et sibilabit super uniuersa plaga eius.

et cibabo eos carnibus filiorum suorum et carnibus filiarum suarum et unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione et in angustia, in qua concludent eos inimici eorum et, qui quaerunt animas eorum.

Quamquam haec et in Babylonia captiuitate accidisse populo nouerimus, tamen plenius referuntur ad tempora saluatoris, quando obsessi sunt a Uespasiano et Tito et ciuitas eorum Hadriani temporibus in aeternos cineres conlapsa est, ut, qui optulerant filios suos idolis, ipsi eos postea famis necessitate conpulsi in ciborum usum uerterent carnesque omnium darentur uolatilibus caeli et bestiis terrae, ut, qui dei muneribus abusi fuerant in impietatem et propria uiscera idolis immolarant, uentres suos sepulchra facerent liberorum.

Et conteres lagunculam in oculis uirorum, qui ibunt — uel egredientur — tecum, et dices ad eos: haec dicit dominus exercituum: sic conteram populum istum et ciuitatem hanc, sicut conteritur uas figuli, quod non potest ultra instaurari.

Perspicue non de Babylonia, sed de Romana dicitur captiuitate: post Babylonios quippe et urbs instaurata et populus reductus in Iudaeam et abundantiae pristinae restitutus est. post captiuitatem autem, quae sub Uespasiano et Tito et postea accidit sub Hadriano, usque ad consummationem saeculi ruinae Hierusalem permansurae sunt, quamquam sibi Iudaei auream atque gemmatam Hierusalem restituendam putent rursumque uictimas et sacrificia et coniugia sanctorum et regnum in terris domini saluatoris.

quae licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum uirorum et martyres ista dixerunt, ut unusquisque in suo sensu abundet et

I domini cuncta iudicio reseruentur. quomodo autem uas fictile et testeum, si fractum fuerit, in antiquam speciem non potest reformari, sic et populus Iudaeorum et Hierusalem subuersa statum pristinum non habebunt. denique cassum nomen est ipsius hodie ciuitatis et ab Aelio Hadriano Aelia dicitur et cum habitatione pristina pristinum quoque nomen amisit ad decutiendam superbiam habitatorum eius.

sanctae autem crucis et resurrectionis uocabula non urbem significant, sed locum, nec diuitiarum quondam magnitudinem, per quam periit populus Iudaeorum, sed gloriam sanctitatis, quam nostra paupercula possidet Bethleem non habens aurum et gemmas, sed panem, qui in ea natus est.

Et in Tofeth sepelientur — uel sepelient — eo, quod non sit alius locus ad sepeliendum. sic faciam loco huic, ait dominus, et habitatoribus eius, ut ponam ciuitatem istam sicut Tofeth —siue ut ruinam —. et erunt domus Hierusalem et domus regum Iuda sicut locus Tofeth siue ruinae. quod autem in LXX infertur: omnes domus regum Iuda sient locus Tofeth, in Hebraico non habetur. Et sequitur:

Immundae m u ndae omnes do m us, in quarum domatibus — siue tectis— sacrificauerunt omni militiae caeli et libauerunt libamina dis alienis. Quod supra

dixerat non uocabitur locusiste amplius Tofeth et uallis filii Ennom, sed uallis occisionis, nunc ponit manifestius, quod tanta in ipso loco futura sit caedes, ut ibi aceruatim populus sepeliatur et locus quondam religionis fiat tumulus mortuorum, ipsa quoque ciuitas, quae huic imminet loco; fiat sicut Tofeth — pro quo LXX \'ruinam\' transtulerunt—, domus quoque Hierusalem regumque palatia in ruinas similes conuertantur.

causaque redditur eo, quod immundae fuerint ei idololatriae pollutae scelere pro eo, quod in domatibus et tectis earum soli et lunae et stellis caeli immolauerint et tura incenderint nec hoc fuerint errore contenti, sed immolauerint daemonibus et liba fuderint dis alienis.

Uenit autem Hieremias de Tofeth - quo miserat eum dominus ad prophetandum, et stetit in atrio domus us domini et dixit ad omnem populum: haec dicit dominus exercituum deus Israhel: ecce ego inducam super ciuitatem hanc et super omnes urbes eius uniuersa mala, quae locutus sum aduersum eam, quoniam indurauerunt ceruicem suam, ut non audirent sermones meos.

Postquam m Tofeth praesentibus populi senioribus, quos duxerat secum Hieremias, confregit lagunculam siue dolium et prophetauit uerbis domini ad conterendum populum et ciuitatem Hierusalem, reuertitur et stat in atrio domus domini et uniuersae loquitur multitudini, quae ad locum Tofeth ire noluerat, quod inducturus sit dominus super ciuitatem Hierusalem et super omnes urbes eius mala, quae locutus sit aduersum eam.

et ne putemus crudelem esse sententiam, reddit causas, cur inducturus sit mala: \'quoniam,\' inquit, \'indurauerunt ceruicem suam, ut non audirent sermones meos ne post multas quidem impietates uolentes agere paenitentiam.\'

Et audiuit Phassur, filius Emmer, sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo domini, Hieremiam prophetantem sermones istos. et percussit Phassur Hieremiam prophetam et misit eum in neruum, quod erat in porta Beniamin superiore in domo domini.

Pro \'Phassur\' LXX transtulerunt \'Phaschor\', qui interpretatur \'oris nigredo\', et pro \'neruo\', quem nos diximus, LXX et Theodotio uertere \'cataracten\', Symmachus βασανιστήριον siue στρεβλωτήριον, quod utrumque tormenta\' significat; nos autem \'neruum\' diximus more uulgari, quod tormenti genus etiam in Actibus apostolorum legimus, quando apostoli Paulus et Silas in custodiam carceris dati sunt.

iste autem erat pontifex templi et data sibi sacerdotii dignitate in peruersum abutitur, non ut doceat et sermone corripiat, sed ut cruciatibus terreat. unde et saluator et apostolus Paulus iussione pontificis uerberantur. nec mirum, si hodieque serui dei caedantur a Phaschor, mittantur in carcerem, horribili custodia reseruen-

tur; datur enim haec potestas a deo, ut prophetarum ostendatur fides. nec tamen maior est ille, qui caedit, sed fortior iste, qui caeditur. et patienter propheta suscipit iudicium dei nec reclamat ad uerbera, sed considerat imperantem. \'Emmer\' \'uerbum\' sonat.

de ouo saepe \'nigredo\' generatur, non parentis uitio, sed scelere degenerantis. tormentum\' autem, quo cruciatur propheta, uidetur in parte dextera\', quod interpretatur \'Beniamin\', et in porta \'sublimi,\' quae non ueritatem indicat, sed iniustam pontificis potestatem-

Cumque inluxisset in crastinum, eduxit Phassur Hieremiam de neruo et dixit ad eum Hieremias: non Phassur uocauit dominus nomen tuum, sed pauorem undique. Et hic tam nomen pontiScis quam tormenti genus similiter omnes ut supra interpretati sunt. mutatur autem nomen pontificis, ut ex nomine futurorum supplicium demonstretur.

\'nequaauam,\' inquit, \'habebis oris nigredinem et iniquae imperium potestatis, sed captiuus duceris Babylonem — hoc enim significat \'pauor undique\' siue per circuitum\' —, \'ut tremens et propriae salutis incertus huc illucque circumspicias et uenientes contra te aduersario reformides! pro \'pauore\', quod in Hebraico scriptum est magur, LXX et Theodotio μέτκον, id est \'migrantem\', Aquilae secunda editio \'peregrinum\', prima \'circumspicientem\', Symmachus \'ablatum\' sine (congregatum) et \'coactum\' interpretati sunt.

Quia haec dicit dominus: ecce ego dabo te in pauorem et omnes amicos tuos et corruent gladio inimicorum suorum et oculi tui uidebunt; et omnem Iudam dabo in manu regis Babylonis et traducet eos in Babylonem et percutiet eos gladio.

et dabo uniuersam substantiam — sine fortitudinem —ciuitatis huius et omnem laborem eius omneque pretium — siue gloriam — et cunctos thesauros regum Inda dabo in manu inimicorum eorum et diripient eos et tollent et ducent in Babylonem. tu autem, Phassur, et omnes habitatores domus tuae ibit in captiuitatem et in Babylonem uenies et ibi morieris ibique sepelieris et omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.

Iuxta superiorem interpretationem, qua \'Phassur\' nomen fuerat inmntatum, ut appellaretur \'Magur,\' omnes similiter transtulerunt, ut significarent uel \'pauorem\' uel \'peregrinationem\' uel \'sublationem) et \'transiationem\' et \'commigrationem\'.

comminaturque eum cum amicis suis iam iamque capiendum tradendumque hostium manibus et cunctum populum tribus Iudae Babylonii regis manibus optinendum aliosque interficiendos gladio et alios ducendos in captiuitatem et uniuersas diuitias tam urbis quam thesaurorum regiorum ab inimicis esse capiendas ipsumque Phassur cum omni cognatione sua et familia ducendum in

captiuitatem et in Babylone esse moriturum eo. quod populum suo mendacio deceperit nequaquam illi uera et tristia. sed per mendacium prospera pollicendo.

simulque animaduertenda prophetae patientia atque prndentia, quod missus in carcerem tacet et silentio uincit iniuriam nec tamen dissimulat, quod scit esse uenturum, ut saltem sic pseudopropheta pontifex peccare desistat et dei clementiam deprecetur.

Seduxisti me. dom , et seductussum— siue decepisti me, domine, et deceptussum —; fortior me fuisti et inualuisti — siue optinuisti et potuisti-; factus sum in derisum tota die. omnes subsannant me. quia iam olim loquor uociferans iniquitatem et uastitatem clamito siue quia amaro uerbo meo ridebo, praeuaricationem et miseriam inuocabo.

Dicit se propheta a domino esse deceptum, quia in principio audiens: prophetam gentibus dedi te et iterum: ecce constitui te hodie super gentes et super regna. ut euellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes. arbitratus sit nihil se contra populum Iudaeorum. sed contra diuersas in circuitu nationes esse dicturum, unde et prophetiam libenter assumserit: et euenisse contrario. ut captiuitatem Hierusalem praedicans persecutiones et angustias sustineret.

quodque intulit: factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me, eo, quod aestiment illum uniuersa mentitam et cuncta, quae praedixerit esse uentura, mendacia fuerint; et propheta enim putauerat statim futuram, quod dominus minabatur, et populus aestimabat nequaquam ultra uenturum, quod statim non uenerat. atque uociferor uastitatem Babyloniam et iniquitatem hostium,

per quam opprimendus sit populus meus\', sin autem sequimur LXX in eo, quod dixere: quia amaro uerbo meo ridebo. praeuaricationem et miseriam inuocabo, hic sensus est: scio praesentem tristitiam futuro gaudio commutandam iuxta illud, quod scriptum est: beati flentes. quoniam ipsi ridebunt, et idcirco miseriam et iniquitatem afflictionemque libenter sustineo, ita ut cupiam et iuuocem eas et breuitatem iniuriae felicitatis aeternitate compensem:

Quia factus est mihi sermo domini in opprobrium et in derisum tota die. et dixi: non recordabor eius — siue non nominabo dominum — nec loquar ultra in nomine illius. et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans claususque in ossibus meis et defeci — siue dissolutus sum — ferre non sustinens; audiui enim contumelias — siue uituperationem — multorum um et terrorem in circuitu — siue congregatorum undique —: persequimini et persequamur eum!

\'CIamante me atque dicente, quod iam Babylonius ueniret exercitus et omnia hostilis gladius praedaretur, uersus est mihi sermo domini in opprobrium atque derisum, dum tarditatem prophetiae putant \'esse mendacium: quamobrem in mea

mente decreui, ut ultra ad populum dei uerbis non loquerer nec nomen illius nominarem.

quod cum pudore superatus uerecunde quidem, sed stulte constituissem. factus est,\' inquit, \'in corde meo quasi ignis exaestuans claususque in ossibus meis (et defeci) siue undique dissolutus sum, ita ut ferre non possim.

\' conceptus enim animo sermo diuinus nec ore prolatus ardet in pectore: unde et Paulus loquitur: si euangelizauero. non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit; uae enim mihi est, si non euangelizauero. si enim uolens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. et in Athenis uidens idololatriae deditam ciuitatem incitabatur spiritu et tota mente feruebat; et post modicum in eodem uolumine legimus: cum uenissent autem de Macedonia Silas et Timotheus. instabat uerbo Panlus testificans Iudaeis esse Christum Iesum.

sed et plerique doctorum usque hodie in ecclesia similia sustinent audientes uituperationem multorum congregatorum adnersum se in circuitu atque dicentium: persequimini et persequamur eos!

Omnes uiri, qui erant pacifici mihi et custodientes latus meum: si quo modo decipiatur et praeualeamus aduersum eum et consequamur ultionem ex eo! dominus autem mecum est quasi bellator fortis. Cum aduersarii surrexerint et amici quondam atque pacifici fuerint ad bella conuersi uoluerintque nobis insidias tendere, non magnopere curemus, sed optemus hoc dicere. quod et propheta loquitur: dominus autem mecum est quasi bellator fortis.

Idcirco, qui persequuntur me, cadent et infirmi erunt — siue ideo persecuti sunt et intellegere non potuerunt —, con fundentur uehementer, quia non intellexerunt opprobrium siue ignominiam sempiternam, quae numquam delebitur. Quia persecuti sunt, ideo propheticum non potuerunt intellegere sermonem et ignorantiam confusio uehemens consecuta est nec intellexerunt ignominiam sempiternam, quae optinebit eos et nulla obliuione delebitur.

dicant igitur, quod uolunt, uin quondam pacifici et, qui custodiebant latus meum, et decipere cupiant. dummodo iustum uirum atque doctorem ecclesiae post persecutionem tanta uindicta tantaque praemia consequantur.

Et tu, domine exercituum, probatoriusti — siue qui probas iusta —, qui uides renes et cor, uideam, quaeso, ultionem tuam ex eis! tibi enim reuelaui causam meam. Solus est dominus, qui nouerit probare iustitiam. quomodo solus est, qui cordis interna conspiciat; unde et Iesus sciens cogitationes hominum non ex profectu, ut quidam putant, sed natura deus est. tale quid et in psalmis sonat: non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. si uiuens uirtutibus non iustificatur, quanto magis, qui peccatis mortuus est!

cumque se sciat iustus habere propugnatorem deum, tamen inpatientia fragilitatis humanae, quod nouit esse uenturum. iam nunc uidere desiderat. cui et reuelauit causam suam, qui dicit in alio loco: mihi uindictam, ego retribuam, dicit dominus. felix autem conscientia, cuius causa domino reuelatur dicente apostolo: omne. quod manifestatur. lux est.

Cantate domino, laudate dominum, quia liberauit animant pauperis de manu pessimorum! Qui pauper est spiritu nec habet diuitias, quae receperunt in isto saeculo consolationem suam et de quibus Paulus loquitur: tantum ut pauperum memores essemus, cum fueiit uindictam a domino consecutus, dominum laudat in spiritu et se de manu pessimorum erutum gloriatur. hoc autem totum fit non nostro merito, sed eius gratia, qui pauperem liberauit nec habet diuitias superbiae corruentis, sed humilitatem pauperis liberati

Maledicta dies, in qua natus sum, dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta maledieius uir — siue homo —, qui annuntiauit patri meo dicens: natus est tibi filius masculus, et quasi gaudio laetificauit cum! sit homo ille, ut sunt ciuitates, quas subuertit dominus et non paenituit eum ! eum. diat clamorem mane et ululatum in tempore meridiano, qui — siue quia - non me interfecit a uulua, ut fierei mihi mater mea sepulchrum et uulua eius conceptus aeternus. quare de uulua egressus sum, ut uiderem laborem et dolorem et consumerentur in confusione dies mei?

Qui putant animas fuisse in caelestibus et de meliore in peiorem statum praecipitatas, hoc et huiuscemodi utuntur testimoniis, quod scilicet melius fuerit in caelestibus quam in terrenis commorari et corpus humilitatis assumere, noua quaedam, immo iam uetera hereseos suae argumenta quaerentes.

nos uero legentes illud beati Iob: maledicta dies, in qua natus sum, et nox illa, in qua dixerunt: ecce masculus, et: maledictus homo. qui annuntiauit patri meo dicens: natus tibi est puer, huic testimonio coaptamus, quod scilicet melius sit non esse quam uiuere in suppliciis iuxta illud, quod scriptum est: mors uiro requies, cui elusit deus uiam suam, et iterum: quare data est misero lux et uita his. qui in amaritudine animae- sunt?

et in euangelio simpliciter dictum legimus: melius ei fuerat. si natus non esset, non quo sit, qui natus non fuerit, sed quo melius sit non esse quam male esse; aliud est enim omnino non esse, aliud! cum sit, absque ulla intermissione cruciari, quomodo mortem quietam uitae miserae praeferimus. unde et Amos diem appellat tenebrarum diem afflictionis et Iacob eo, quod uiierit in labore et angustia. dies uitae suae paruos et pessimos uocat et Paulus apostolus dicit: ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam et iterum: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Hebraei quintum mensem.

quo capta Hierusalem templumque subuersum est, natiuitatis Hieremiae supputant inextricabilibus quibusdam et incredibilibus argumentis. quod si probare

potuerint: quomodo testimonium Iob ualeant interpretari, nescio; nisi forte et illum diem quadam praefiguratione et uaticinio futurorum subuersionis templi autument.

quodque inprecatur similitudinem subuersarum ciuitatum, de Sodoma et Gomorra dici arbitror. et omne tempus in luctu. ut mane sit clamor et ululatus meridie. quod autem infert: qui me non interfecit in uulua, deum significari putant.

\'ut esset mihi: inquit \'conceptus aeternus;\' quae omnia dicuntur hyperbolice. denique exponit causas, cur mortem praeferat uitae et omnino non esse quam male esse, subiungens: quare de uulua egressus sum. ut uiderem laborem et dolorem ut consumerentur confusione dies mei?

Uerbum, quod factum est ad Hieremiam a domino, quando misit ad eum rex Sedecias-_ Phassur, filium Melchiae, et Sophoniam, filium Maasiae. sacerdotem dicens: interroga pro nobis dominum, quia Nabuchodonosor, rex Babylonis, proeliatur aduersum nos, si forte faciat dominus nobis sicut omnia mirabilia sua et recedat a nobis.

Supra pontifex Phassur siue Phaschor, qui percussit Hieremiam. patrem habuit Emmer, hic autem Phassur filius est Melchiae: hoc idcirco, ne quis eundem putet. mittit autem Sedecias rex ad prophetam nolens uel populum scire uel principes. ut occulto per legatos nuntio recognoscat, quam dominus super urbe Hierusalem et populo Iudaeorum habeat sententiam. quodque infert: quia Nabuchodonosor, rex Babylonis, proeliatur aduersum nos, ostendit iam obsessa Hierusalem hoc a propheta sciscitari Sedeciam.

et notandum, quod in prophetis, maximeque in Hiezecihele et Hieremia, nequaquam regum et temporum ordo seruetur, sed praepostere. quod iuxta historiam postea factum sit, prius referri et. quod prius gestum sit, postea; aliud est enim historiam, aliud prophetiam scribere, ut in praesenti loco Sedecias, qui cum urbe Hierusalem captus est, mittens scribitur ad Hieremiam et eo tempore, quo obsidebatur Hierusalem. et postea narratur historia Ioiacim fratris eius, qui ante eum rex fuit, et Ioiachin. id est Iechoniae, qui fuit filius Ioiacim, super quibus dicetur in consequentibus.

Et dixit Hieremias ad eos: sic dicetis Sedeciae: haec dicit it dominus deus Israhel h c I: ecce ego I conuertam uasa belli — siue arma bellica —, quae sunt in manibus uestris et quibus pugnatis aduersum regem Babylonis et Chaldaeos, qui obsident uos in circuitu murorum, et congregabo ea — siue eos- — in medio ciuitatis huius et debellabo uos in manu extenta et bracchio forti — siue excelso — et in furore et in indignatione et in ira grandi et percutiam habitatores ciuitatis huius; homines et iumenta pestilentia magna morientur.

\’Frustra,\’ inquit, \’repugnare uultis Chaldaeis obsidentibus et arma bellica praeparatis, quorum in media tantum urbe usum habebitis, ut armati esse uideamini. ceterum illis obsidentibus ego uos debellabo in manu extenta et bracchio forti meoque furore et indignatione percutiam, ut et uos et omne, quod spirat, fame et pestilentia in media urbe moriatur.\’ quod quidem et factum legimus; absque ulla enim corona strepituque pugnantium urbs tantum obsidione capta est, ut,. quos uincerent, non haberent, sed quos tantum caperent; meliores, ait. fuerunt uulnerati gladio quam occisi fame.

Et post haec. ait dominus, dabo Sedeciam, regem Iudae, et seruos eius et populum eius et, qui derelicti sunt in ciuitate hac a peste et gladio et fame, in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, et in manu in imicorum eorum et in manu quaerentium animam eorum et percutiet eos in ore gladii et non flectetur neque parcet nec miserebitur.

Hoc. quod nos transtulimus: in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, et in manu inimicorum eorum, in LXX non habetur et pro eo, quod diximus: non flectetur neque parcet nec miserebitur, LXX transtulerunt: non parcam nec miserebor.

meliusque est iuxta Hebraicum, ut crudelis sententia et inflexibilis magis regis Babylonii quam domini esse uideatur. primum autem de uniuersa urbe prophetatum est; nunc proprie Sedeciae praedicitur et populo eius, qui residui fuerint post pestem, gladium et famem, quod a Nabuchodonosor, Babylonio rege, capiendus sit interficiendusque cum amicis suis gladio nec ullam eius speret misericordiam, cuius foedus et necessitudinem periurio deseruit.

Et ad populum hanc dices: haec dicit dominus: ecce ego do coram uobis uiam uitae et uiam mortis. qui habitauerit urbe hac, morietur gladio et fame et peste; qui autem egressus fuerit et transfugerit ad Chaldaeos, qui obsident uos, uiuet et erit ei anima sua quasi spolium; posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum et non in bonum, ait dominus; in manu regis Babylonis dabitur et exuret eam igni.

His, qui a rege missi sunt et ad prophetam uenerant deprecandum. ut interrogaret pro eis dominum, superiora responderat et, quae referrent regi Sedeciae; nunc hortatur, ut respondeant populo, datque consilium. ut transfugiant ad Chaldaeos contra regiam uoluntatem; quod periculosum fuisse prophetae nullus ignorat. unde et mortem sibi inprecatur et dicit:

maledicta dies, in qua natus sum, et: quare de uulua egressus sum, ut uiderem laborem et dolorem?, non quo leue sit necdum captis dare consilium se ultro tradere captiuitati, quasi si passuris naufragium imperetur. ut ante naufragium et dissipatam nauem remos tabulasque corripiant et se undis tradant, sed quo tolerabilius sit utcumque captos uiuere quam gladio, fame et peste consumi. sunt.

qui hunc locum secundum tropologiam sic edisserant melius esse saecularibus se tradere disciplinis, et maxime philosophiae, quam in illa permanere ecclesia, in qua famis sit sermonis dei et cunctus populus hereticorum gladio doctrinaeque paenuria et heretica peste moriatur.

Et domui regis Iuda: audite uerbum domini,. domus Dauid! haec dicit dominus: indico mane iudicium et eruite ui oppressum de manu calumniantis, ue forte egrediatur — siue ut non egrediatur — quasi ignis indignatio mea et succendatur et non sit, qui extinguat; quodque sequitur: propter malitiam studiorum uestrorum, in LXX non habetur.

Quia supra dixerat: et ad populum hunc dices: haec dicit dominus, consequenter nunc infert: et domui regis Iuda, ut subaudiatur: \'dices: haec dicit dominus\'; ἀπὸ κοινοῦ enim et superiora et inferiora iunguntur. ut sit sensus: et ad populum hunc dices: haec dicit dominus, (et domui regis Iuda dices: haec dicit dominus\'. proprie autem sermo fit ad domum regiam, ob cuius maxime culpam ciuitas obsidetur. ut emendet errorem paenitudine et clementiam domini consequatur.

\'iudicate,\' inquit. \'mane iudicium\' — non in tenebris iniquitatis. sed in luce iustitiae — \'et eruite ui oppressum de manu calumniatoris. ut non accipiatis personam in iudicio, sed diuitibus pauperes opprimentibus magis apud uos dei imperium ualeat quam potentia persequentis! et si\', inquit, \'hoc feceritis, nequaquam succendetur in uobis ignis furoris mei nec inueniet

materiam, quam consumat.\' incredibilisque in hoc loco dei clementia demonstratur, ut, de quibus supra dixerat: posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum et non in bonum: in manu regis Babylonis tradetur et exuret eam ignis, iam domini ingruente sententia eos prouocet ad salutem, non quo ignoret urbem Hierusalem esse capiendam, sed quo liberum homini seruetur arbitrium, ut non ignorantia futuri, sed uoluntate propria perire uideantur: quomodo et saluator sciebat populum negaturum et se esse crucifigendum, quippe qui hoc apostolis saepe praedixerat, et nihilominus commonebat nolens eos corrigere ad paenitentiam, ut, quicquid postea sustinuerunt, suo uitio eis acciderit. non duritia comminantis.

Ecce ego ad te, habitatricem uallis solidae atque campestris, ait dominus, qui dicitis: quis. percutiet — siue terrebit — nos et quis ingredietur domos nostras? et uisitabo super nos; quodque sequitur: iuxta fructum studiorum uestrorum dicit dominus, in LXX non habetur. et succendam. inquit, ignem in saltu eius et deuorabit omnia in circuitu eius.

Pro \'habitatrice uallis solidae atque campestris\' LXX transtulerunt: ecce ego ad te, qui habitas in ualle Sor campestri, pro quo Symmachus \'petram\', Theodotio \'obsessam\' interpretati sunt. Aquilae prima editio \'solidam\', secunda \'Tyrum\'; \'Sor\' enim siue \'Sur\' lingua Hebraea et \'Tyrum\' et silicem et \'coartatam\' sonat.

loquitur autem contra Hierusalem, quae obsidione uallata est siue in similitudinem Tyri quasi mari grandi ita Babylonio exercitu cingitur et euadere non potest aut certe, quae se instar petrae durissimae inexpugnabilem putat atque robustam pro soliditate murorum et magnitudine et dicit: \'quis terrere nos poterit et quis ingredietur domos nostras?\', cum e contrario loquatur deus: ego uisitabo uos. meum euadere oculum non poteritis.

nisitabo autem uos in perniciem et reddam uobis fructum malitiae uestrae et ego succendam ignem in saltu uestro, non Babylonius, ut putatis, non rex Chaldaeorum. sed mea haec omnia ira perficiet). \'saltum\' autem uocat Hierusalem et omnem circa regionem, quae frugiferas arbores bonorum operum non habet, quod sit incendio praeparatus. pulchreque \'uallem\' appellat \'campestrem\', quod peruia sit hostibus, et non \'montem excelsum\', qui difficulter ascendi potest, iuxta quod et in Isaia dicitur: uisio uallis Sion.

quicquid ad domum regiam et ad urbem metropolim prophetatur, referamus ad ecclesiasticum ordinem et principes ecclesiarum, eos dumtaxat, qui se superbiae et diuitiis lasciuiaeque tradiderint. nec statim quia domus regia est, ab interitu liberabitur, quomodo et, qui de stirpe fuere Dauid, pauci admodum sunt inuenti. qui placuerint domino, ut ipse Dauid. Ezechias et losias, magnaque pars principum et stirpis regiae in uniuersum populum iram domini prouocauit.

Haec dicit dominus: descende in domum regis Iuda et loqueris ibi uerbum hoc et dices : audi uerbum domini, rex Iuda, qui sedes super solium Dauid, tu et serui tui et populus tuus, qui ingredimini per portas istas! haec dicit dominus: facite indicium et iustitiam et liberate ui oppressum de manu calumniatorum et aduenam et pupillum et uiduam nolite contristare neque opprimatis inique — siue impie — et sanguinem inno- centem ae effundatis in loco isto!

si enim facientes feceritis uerbum istud, ingredientur per portas domus huius reges sedentes de genere Dauid super thronum eius et ascendentes currus et equos, ipsi et serui et populus eorum. quodsi non audieritis uerba haec. per memet ipsum iuraui. dicit dominus. quia in solitudinem erit domus haec. Haec uisio.

immo hic sermo domini. uel ante iit ad prophetam. quam Sedecias ad eum nuntios mitteret, uel certe postquam nuntiis praecepit, quid regi referre deberent, praecipitur Hieremiae, ut nequaquam per nuntios loquatur ad regem, sed ipse uadat ad palatium et ibi loquatur ei.

simulque animaduertamus diuinam sapientiam, quod per nuntios iubet tristia nuntiari mixtis et prosperis, si agere uoluerit rex paenitentiam. hic uero, quia ipsi imperatur, ut pergat, non tristia nuntiat et captiuitatem - iam iamque uenturam, sed monet, quid facere debeat, ut uitet inpendentem sententiam dei. regum autem proprium est facere iudicium atque iustitiam et liberare de manu calumniatorum ui

oppressos et peregrino pupilloque et uiduae, qui facilius opprimuntur a potentibus. praebere auxilium.

et ut curam eis praeceptorum dei maiorem iniceret, intulit: \'nolite contristare, ut non solum eripiatis, sed ne patiamini quidem per uestram coniuentiam ab aliis contristari, et sanguinem innocentem non effundatis in loco isto!\' homicidas enim et sacrilegos et uenenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

\'si,\' inquit, haec feceritis, o reges Iuda, tenebitis pristinam potestatem et cum ambitione ingrediemini portas Hierusalem; sin autem facere nolueritis, o domus regia, non tam domini erit crudelitatis quam tuae uoluntatis, ut omnis ciuitas redigatur in solitudinem .

quicquid regiae domui dictum est. intellegant episcopi sociique eorum, presbyteri atque diaconi, et omnis ordo ecclesiasticus, quod, si fecerint, quae praecepta sunt, et inter cetera innocentem sanguinem non fuderint scandalizantes minimos quosque et percutientes conscientias singulorum, optineant traditam sibi a domino dignitatem: sin autem facere noluerint atque contemserint, ipsi redigant ecclesiam in solitudinem.

ingrediuntur autem de genere Dauid per portas Hierusalem et sedent super thronum eius, qui interpretatur fortis manu\', et ascendunt currus et equos, quando refrenant et suas et populi perturbationes et conposito in ecclesia ingrediuntur gradu et multarum uirtutum choro sibique ex omni parte concinentium. et ut hoc uerum esse credamus, iurat per se, qui iuxta apostolum maiorem alium. per quem iurare possit, non habet

Quia haec dici dominus super domum — siue ad domum — regis Iuda: Galaad tu mihi, caput — siue principium — Libani, si non posuero te in solitudinem, urbes inhabitabiles. et sanctificabo super te interficientem uirum et arma eius et succident electas cedros tuas et praecipitabunt — siue mittent — in ignem. et pertransibunt gentes multae per ciuitatem hanc et dicet unusqusque proximo suo: quare fecit dominus sic ciuitati huic magnae? et respondebunt ebu ut: eo. quod reliquerint pactum domini dei sui et adorauerint deos alienos et seruierint e.is.

Galaad, quam possedit dimidia tribus Manasse. trans Iordanen scriptura commemorat: in quo monte Laban fugientem consecutus est lacob et mons iuxta Genesin nomen accepit ōωρός, id est tumulus testimonii>. eo, quod ibi Iacob Labanque iurauerint in aceruum lapidibus congregatis.

est autem caput sine principium Libani. montis excelsi. qui uniuersus cedris consitus est iuxta illud Dauid canentis: et commonebit dominus cedros Libani et alibi: uidi impium exaltatum et eleuatum sicut cedros Libani; et in Zacharia legimus: aperi, Libane, portae tuas et comedat ignis cedros tuas! igitur praesenti loco.

quia ad domum regiam loquebatur, per μεταφορὰν loquitur ad templum siue ad domum stirpis Iuda, quod ipsa sit in excelso siue quod de templo atque sacrario omnium peccatorum remedia poscebantur; unde et hic idem propheta commemorat: numquid resina non est in Galaad aut medicus non est ibi? quare non ascendit curatio filiae populi mei?

comminatur igitur regiae domui et urbi Hierusalem et templo, quod uocat caput Libani. quod redigendum sit in solitudinem cum uniuersis urbibus suis non potentia regis Babylonii. sed domini iussione, qui dicit: sanctificabo super te interficientem. \'sanctus\' autem uocaturNabuchodonosor et omnis eius exercitus, quia exsequitur sententiam dei.

\'et succident\'. inquit, (electas cedros tuas\' — potentes quosque et principes ciuitatis — \'et mittent in ignem, ut omnia deuorans flamma consumat. cumque deleta fuerint uniuersa, transibunt gentes multae per ciuitatem et templum, quod eis prius ingredi non licebat. et unusquisque loquetur proximo suo, quare fecerit dominus ciuitati inclytae et magnae tam subitam et tam grandem euersionem. respondebuntque\', inquit, \'qui interrogati fuerint, et exponent causas ruinarum dicentes: quia reliquerunt pactum domini dei sui et pro deo idola uenerati sunt\'.

audiat hoc et nostrae urbis domus regia et principes eius et cedri, quae eleuant usque ad nubes uerticem suum et per superbiam loquuntur: <quis nos non uidebit ?\', quod cito flamma domini consumantur, si noluerint illius praeceptis adquiescere. alia autem est sanctificatio interfectoris et armorum eius, alia sacerdotum et eorum. qui ministrant domino.

Nolite flere mortuum neque lugeatis super eum.\' fletu plangite eum, qui egreditur, quia non reuertetur ultra nec uidebit terram natiuitatis suae! quia haec dicit dominus ad Sellum filium Iosiae, regem Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto: non reuertetur huc amplius, sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur et terram istam non uidebit am p lius. Iosias. rex iustus, tres filios habuit.

Ioachaz et Ioiacim et Sedeciam, quorum primum rex Aegypti Pharao Nechao captinum duxit in Aegyptum ibique mortuus est et constituit pro eo regem fratrem eius Eliacim (uertitque nomen eius Ioiacim). quo mortuo regnauit filius eius Iechonias, qui a Nabuchodonosor, rege Babylonio, cum matre et principiis ductus est in captiuitatem, pro quo patruus eius regnauit Sedecias, qui capta Hierusalem ductus est in Babylonem.

quaeritur itaque, qui sit iste, qui fleri non debeat ducendusque sit in captiuitatem et ultra non reuersurus, cum tres capti sint atque transducti. Hebraei putant hoc omnibus conuenire, id est et Ioachaz et lechoniae et Sedeciae, appellarique omnes filios Iosiae \'Sellem\' siue \'Sellum\', quod interpretatur \'consummatio\' uel \'conpletio\' eo, quod regnum Iuda in ipsis finitum sit. mihi autem proprie hoc dici

uidetur de Sedecia, de quo et praesentis et praeteriti capituli prophetia est. in quo uere regnum Iuda finitum est. sub quo et urbs capta est ductusque in Babylonem ibi mortuus scribitur. iste est \'Sellum,\' id est \'consummatio\' atque \'conpletio\'. filius Iosiae, rex Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo.

lechonias autem non fuit filius. sed nepos Iosiae, filius Ioiacim, ut a principio uisionis, quando misit ad Hieremiam rex Sedecias Phassur. filium Melchiae. et Sophoniam. filium Maasiae, sacerdotem, usque ad istud capitulum omnia ad regem et de rege Sedecia dici intellegamus.

Uae, qui aedificat domum suam in iniustitia et cenacula sua non in iudicio, amicum suum opprimit frustra et mercedem eius non reddit t ei; qui dicit: aedi ficabo mihi domum latam et cenacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras et facit laquearia cedrina pingitque sinopide! numquid regnabis, quoniam confers te cedro.

pater tuus nonne comedit et bibit et fecit iudicium et iustitiam tunc, cum bene erat ei? iudicauit causam pauperis et egeni in bonum suum; n numquid non ideo, quia cognouit me?, dicit dominus. tui uero oculi et cor ad auaritiam et ad sanguinem innocentem fundendum et ad calumniam et ad cursum mali operis.

LXX: 0 qui aedi ficas domum tuam non cum iustitia et cenacula tua non indicio. apud eum pro:rimus operatur gratis et mercedem ei non reddet. aedificasti tibi domum paruulam, cenacula perflatilia, distincta. fenestris et contignata cedro et lita sinopide.

numquid regnabis, quia tu contendis contra Acha v, patrem tuum? non comedent et non bibent; melius erat tibi facere indicium et iustitiam bonum. non cognouerunt, non iudicauerunt indicium humili que iudicium pauperis. nonne hoc est ignorare te me?. dicit dominus. ecce non sunt oculi tui recti nec cor tuam bonum, sed ad auaritiam tuam et, ut sanguinem innocentem effundas. et adiniquitatem et homicidium, ut facias ea.

Utramque editionem ex integro posui. ut et Hebraica ueritas et difficultas uulgatae editionis facilius cognoscatur. est autem sermo contra Ioiacim. filium Iosiae, regem ludae. de quo supra diximus, quem constituit Nechao Pharao, rex Aegypti, pro Ioachaz, fratre suo. quem uinctum duxit in Aegyptum. legimus autem et tam Kegum quam Paralipomenon narrat historia undecim annis regnasse in Hierusalem Ioiacim, filium losiae. et regnasse crudeliter et exstitisse impium et postea mortuum; nec tamen eius sepultura narratur banc habente scriptura sancta consuetudinem, ut omnes reges et mortuos referat et sepultos. hunc autem proprie narrat mortuum et non sepultum, de quo dicemus in posterioribus.

plaugit itaque supra dictum regem, quod confidat in iniustitia et putet esse perpetuam regiam dignitatem faciatque sibi cenacula et amicos opprimat operantibusque non reddat mercedem suam et aeternam palatii sui aedificationem arbitretur.

\'numquid.\' ait sermo diuinus. regnare poteris in perpetuum. quoniam conferre te cupis cedro excelsae, patri tuo Iosiae uidelicet, regi iusto? pater,\' inquit, *tuus et comedit et bibit et fruitus est opibus regiis; nec tamen in eo offendit deum. quod habuit diuitias, sed in eo placuit. quod fecit iudicium atque iustitiam, et idcirco tam in praesenti saeculo quam in futuro bene ei fuit et erit.

iudicauit,\' inquit, \'causam pauperis et egeni et in eorum refrigerium. quos audiuit, et proprie in bonum suum. haec autem omnia euenerunt ei prospera, quia me cognouit, dicit dominus. tui uero, o loiacim. oculi declinant ad auaritiam et, ut innocentem sanguinem fundas.

ad calumniam et ad cursum mali operis! iuxta LXX uero quem sensum habeant, intellegere non possum: cum enim cetera sibi aliqua ei parte consentiant, illud. quod infertur: numquid regnabis. quoniam tu contendis in Achaz patre tuo?, pro quo in Hebraeo scriptum est \'araz\'. et hic sermo \'cedrum\' significet. manifestum est. quod nullum sensum habeat, illudque, quod sequitur: non comedent et non bibent et cetera. quae ita inter se dissipata sunt atque confusa. ut absque ueritate Hebraicae lectionis nullam intellegentiam habeant.

possumus antem hunc locum iuxta ἀναγωγήν contra hereticos accipere. qui aedificant sibi domum non magnam et ecclesiae ubertate latissimam. sed paruulam. aedificant autem non cum iustitia atque iudicio aliena diripere cupientes: unde dicitur: aedificasti tibi domum paruulam, cenacula perflatilia, quae circumferuntur omni uento doctrinae, et distincta fenestris; non enim habent perpetuum aedificium nec solidam firmitatem.

et contignata, inquit, cedro: uidentur quidem contignationem habere pulcherrimam, sed ad imbres et perse-cutionum tempestatem cito putrescunt et corruunt. litaque sinopide: et ipsi enim passionem domini et sanguinem pollicentur, sed in perpetuum non regnant, quia contendunt et ad iracundiam prouocant \'araz\'. id est \'cedrum\', patrem suum. omnis enim hereticus nascitur in ecclesia, sed de ecclesia proicitur et contendit et pugnat contra parentem.

quodque infert: non comedent et non bibent, subauditur \'corpus et sanguinem saluatoris\'; ceteraque his similia. erroremque omnem dicit inde descendere, quod ignorauerint deum nec habeant rectos oculos, sed cor eorum pronum sit ad auaritiam. ut aliena diripiant et deceptorum sanguinem fundant; hoc est enim facere homicidium. obscura latius disserenda sunt.

Propterea haec dicit dominus ad Ioiacim, filium Iosiae, regem Iudae: non plangent eum : uae frater et uae soror! non concrepabunt ei: uae domine e t uae inclyte! sed sepultura asiui sepelietur putrefactus et proiectus extra portas Hierusalem . Hoc, quod nos de Hebraico posuimus: non plangent eum: uae frater et uae soror, in LXX non habetur.

proprieque dicitur contra Ioiacim, regem Iuda, et aperitur aenigma, quod prius uidebatur occultum. et inter tres fratres ambiguum soluitur. ut non sit sermo de Ioachaz neque de 10 Sedecia, sed proprie de Ioiacim. quem interfectum a latrunculis Chaldaeorum. Syriae, Ammanitarum et Moabitarum Hebraea narrat historia; unde et in Malachim mortuus scribitur et sepultus tacetur. in libro Dierum legimus uinctum catenis et ductum in Babylonem nec ultra quid refertur de eo. 15

pulchreque \'sepultura asini\' dicit eum sepeliendum, ut aliis uerbis significet insepultum, hoc est a bestiis auibusque lacerandum. haec est enim asini sepultura.

Ascende Libanum et clama et in Basan da uocem tuam et clama ad transeuntes, quia contriti 20 sunt omnes amatores tui! locutus sum ad te, in abundantia tua dixisti: non audiam ! haec est uia t ua ab ad ulescentia. quia non audisti uocem meam. omne.., pastores — siue amatores — tuos pascet uentus et amatores — siue amici — tui in captiuitatem ibunt; et tunc confunderis et erubesces ab omni malitia tua. quae sedes in Libano ei nidificas in cedris, quomodo congemuisti. cum uenissent tibi dolores quasi dolores parturientis!

Per μεταφοράν Libani et Basan. regionum et montium trans Iordanen. ad Hierusalem sermo dirigitur. quod frustra in Aegypto sit confisa, siue ad ipsum Ioiacim. qui eo tempore regnabat in Hierusalem et ab Aegyptiis rex fuerat constitutus, quod frustra Aegyptiorum speret auxilium et quod ipsi quoque a Babylonio rege superandi sint et ducendi in captiuitatem.

quodque ait: locutus sum ad te\' — hoc est ipse deus per prophetas - siue: \'locuti sunt ad te\' — ut subandiatur \'prophetae mei\' - et tu in abundantia tua dixisti: non audiam.) arguit eam superbiae et, quod diuitiarum magnitudine abusa sit in contemtum dei, et narrat, quod non solum hoc tempore, sed et ab initio, quando educta sit de Aegypto, non audierit uocem dei: unde et omnes pastores eius et principes huc illucque dispersi sint et captiuitati Babyloniae colla summiserint quodque infert:

quae sedes in Libano et nidificas in cedris, adrogantiam suggillat. quae de omnium rerum creuerat abundantia, et quod instar mulieris puerperae repentinus ei dolor et subita ueniat captiuitas. quod autem nos diximus: clama ad transeuntes et in Hebraico scriptum est \'meabarim\'. LXX Theodotioque uerterunt \'trans mare\', Symmachus \'de contra\', ut significent. quod uox prophetae de Hierusalem usque ad montem Libanum et Basan debeat peruenire.

[Uiuo ego, dicit dominus: quia, si fuerit Iechonias, filius Ioiacim, regis Iuda. anulus in manu dextera mea, inde auellam eum — siue te — et dabo te in manu quaerentium animam tuam et in manu, quorum tu formidas faciem, et in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, — quod in LXX non habetur — et in manu Chaldaeorum. et mittam te — siue proiciam te — et matrem tuam, quae genuit te, in

terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini; in terram m autem, ad quam ipsi leuant ant animam suam, ut reuertantur, illuc non reuertentur.

Supra dixerat: \'domui regis Iuda haec loqueris\' et deinde: descende in domum regis Iuda et iterum: haec dicit dominus super domum regis Iuda et praepostero ordine, postquam locutus est de Sedecia, qui ultimus regum fuit in Hierusalem, reuertitur ad Ioiacim, fratrem eius, qui ante eum regnauit. qua uaticinatione completa nunc loquitur ad filium Ioiacim. nepotem Iosiae, regem Hierusalem, Iechoniam. qui et alio nomine appellatur Ioiachin, qui captus a Nabuchodonosor cum matre sua principibusque et artificibus et multis nobilibus ductus est in Chaldaeam ibique mortuus.

hoc igitur dicitur: (si. quomodo anulus non recedit de manu portantis et de digito difficulter elabitur. sit in manu mea Iechonias, tamen auellam eum et tradam regi Babylonio ibique cum matre et omnibus sociis suis morietur et ultra terram Indaeam. quam desiderat. non uidebit\'. miserabilis Grunnius.

qui ad calumniandos sanctos uiros aperuit os suum linguamque suam docuit mendacium, Sexti Pythagorei, hominis gentilissimi. unum librum interpretatus est in Latinum diuisitque eum in duo uolumina et sub nomine sancti martyris Xysti, Romanae urbis episcopi. ausus est edere. in quibus nulla Christi, nulla spiritus sancti. nulla dei patris, nulla patriarcharum et prophetarum et apostolorum fit mentio, et hunc librum solita temeritate et insania \'Anulum\' nominauit. qui per multas prouincias legitur. et maxime ab his, qui ἀπάθειαν et inpeccantiam praedicant.

quomodo igitur dominus Iechoniam instar anuli de manu sua et digito proiecturum se comminatur. ita lectorem obsecro. ut nefarium librum abiciat legatque. si noluerit, ut ceteros philosophorum libros, non ut uolumen ecclesiasticum.

soleo in commentariis et explanationibus. quorum mos est diuersas interpretum sententias ponere. huiuscemodi miscere sermonem: \'quidam hoc dicunt, alii hoc autumant, nonnulli sic sentiunt! quod et ipse miserabilis Grunnius et post multos annos discipulus Iouiniani et illius calumniati sunt et calumniantur me sub alienis nominibus proprias sententias ponere, quod ego causa beniuolentiae facio, ne aliquem certo nomine uidear lacerare.

quia igitur benignitas uersa est in calumniam, nunc dico et illi, qui mortuus est. et isti, qui uiuit et heresin illius instaurare conatur, magistrum eorum Origenem hunc locum referre ad Christum, quod de manu dei patris instar anuli auulsus sit et missus in terram captiuitatis, in uallem lacrimarum. crucique traditus, matrem quoque eius — hau dubium quin synagogam — captam atque proiectam.

et non pertimescit ista commemorans hoc. quod sequitur: terra, terra. terra, audi uerbum domini! haec dicit dominus: scribe uirum istum abominatum siue sterilem.

et reliqua intellegere de domino maiestatis. scribit autem hoc, ne discipuli eius negare audeant, in quinto Stromatum Iibro.

Numquid uas fictile atque contritum uir iste Chonias? numquid uas absque omni uoluptate —- siue utilitate-? quare abiecti sunt ipse et semen eius et protecti in terram, quam ignorabant? Pro eo. quod nos diximus: numquid uas fictile atque contritum, Symmachus transtulit: numquid purgamentum siue quiliae uiles atque proiectae?, pro quo in LXX nihil habetur, sed hoc tantum interpretati sunt: inhonoratus est Iechonias quasi uas, in quo nulla est utilitas.

et cum hoc de Iechonia dicatur. filio Ioiacim. audet quispiam ad typum referre Christi et ex eo, quod apostolus dicat dominum saluatorem imaginem esse dei inuisibilis, primogenitum omnis creaturae. id est sapientiam, uerbum, ueritatem, uitam atque iustitiam, eum appellari anulum. qui proiciatur uel auellatur de manu domini et regi tradatur Nabuchodonosor?

abiecti sunt, inquit, ipse et semen eius et proiecti in terram. quam ignorabant, quod de Iechonia factum nemo dubitat. \'Iechonias\' interpretatur \'domini praeparatio\'. cui in praesenti loco prima syllaba, id est domini nomen, aufertur et dicitur \'Chonias\', ut subaudiatur \'perditioni et interitu praeparatus\'.

Terra. terra, terra. audi sermonem domini! haec dicit dominus: scribe utrum istum sterilem, utrum, qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius uir, qui sedeat super solium Dauid et potestatem habeat ultra in Iuda.

Si uoluero per loca notare singula, quanta LXX uel praetermiserint uel mutauerint, longum fiet, praesertim cum possit diligens lector ex utraque editione considerare, quid mutatum, quid additum, quid subtractum sit. pro \'sterili\' in Hebraeo scriptum est \'ariri\', quod Aquilae prima editio \'sterilem\'. secunda ἀναύξητον,id est \'non crescentem\', Symmachus \'uacuum\', LXX et Theodotio \'abominabilem\' et \'abdicatum\' interpretati sunt.

et oritur quaestio, quomodo possit stare prophetia de stirpe eius nullum esse generatum, qui sederit super thronum Dauid nec princeps fuerit ultra in Iuda, cum dominus atque saluator de huius natus sit semine, super cuius ortu loquitur Gabrihel ad Mariam: ecce concipies in utero et paries filium et uocabis nomen eius Iesum. ipse erit magnus et filius altissimi uocabitur et dabit ei dominus deus sedem Dauid patris sui et regnabit super domum Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.

possumus ergo hoc dicere, quoniam illud, quod deest in LXX, uidelicet in diebus eius non prosperabitur siue non crescet. ignorantibus fecerit quaestionem. LXX enim transtulerunt: scribe uirum istum abdicatum hominem, quia non crescet de semine eius uir, qui sedeat super thronum Dauid, princeps ultra in Iuda, quod in Hebraico bis positum est; quod putantes, qui ab initio scripserunt, in Graecis libris additum subtraxerunt.

respondeamus igitur. quod in diebus lecboniae non successerit ei uir, qui sederit super thronum eius, sed multo post tempore de semine eius natus sit, qui solium eius optinuerit. potest autem et sic solui: non sedebit quidem super thronum Dauid uir et homo, sed sedebit deus regnumque eius non erit terrenum et breue, ut fuit Dauid, sed perpetuum atque caeleste dicente scriptura: regnabit super domum Iacob in aeternum et regni eius non erit finis. natus est ergo de Ioiacim Iechonias.

de Iechonia Salathiel, de Salathiel Zorobabel et per ordinem uenitur ad Christum. sed in diebus Ioiachin non successit ei rex filius, quomodo patri ipse successerat, sed fuit in captiuitate et Salathiel et Zorobabel et usque ad Christum nullus regiam optinuit potestatem. hoc autem idcirco, quia in Hebraico scriptum est: in diebus eius et in tempore ipso. quo ille fuit, non erit uir, qui sedeat super solium Dauid. omnes enim fuere captiui et de stirpe Dauid nullus deinceps in terra Iudaea tenuit principatum.

unde et Iosephus refert de sacerdotali genere ac tribu Leui fuisse principes, quibus successerit Herodes. Antipatri proselyti filius, et postea sub Uespasiano regnum huius generis, immo imaginem imperii. penitus fuisse deletam.

Uae pastoribus, qui disperdunt et lacerant gregem pascuae meae — sine o pastores, qui disperditis et dissipatis oues pascuae meae —, dicit dominus. ideo haec dicit dominus deus Israhel ad pastores, qui pascunt populum meum: uos dispersistis gregem meum, eiecistis eos et non uisitastis; ecce ego uisitabo super uos malitiam studiorum uestrorum. ait dominus.

et ego congregabo retiquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc, et conuertam eos ad rura sua — siue restituam illos ad pascua sua — et crescent et multiplicabuntur.et suscitabo super eos pastores et pastores eos: non formidabunt ultra et non pauebunt et nullus quaeretur ex numero, dicit dominus.

Ad pastores sine de pastoribus propheticus sermo est et. quia de Iechonia, paenultimo rege Iudaeae, qui fuit de stirpe Dauid, legimus scriptum: terra. terra. terra. audi sermones domini! scribe uirum istum abdicatum — siue sterilem — et non erit de semine eius uir. qui sedeat super solium Dauid. omnisque spes regni Iudaici fuerat amputata, transit ad principes ecclesiae et synagoga cum suis pastoribus derelicta atque damnata ad apostolos sermo fit. de quibus dicitur: et suscitabo super eos pastores et pascent eos; non formidabunt ultra et non pauebunt et nullus quaeretur ex numero.

dicit dominus. apostoli enim confidenter et absque ullo timore pascent ecclesiasticum gregem et reliquiae populi Israbel saluabuntur de omnibus terris et conuertentur ad rura sine ad pascua sua et crescent et multiplicabuntur. super malos autem pastores, scribas et Pharisaeos, uisitabit dominus propter malitiam studiorum ipsorum.

possumus hoc iuxta tropologiam et de ecclesiae principibus intellegere, qui tamen non digne regunt oues domini. quod illis abiectis atque damnatis saluetur populus aliis traditus, qui digni exstiterint. et reliquiae saluae fiant. perdunt oues pastores, qui docent heresim: lacerant et dissipant, qui schismata faciunt; eiciunt eas, qui contra iustitiam de ecclesia separant: non uisitaut, qui paenitentibus contrahunt manum. quorum omnium miserebitur dominus reddens eis pristina pascua et malos pastores auferens.

Ecce dies ueniunt, dicit dominus, et suscitabo Dauid germen iustum — siue orientem iustum — et regnabit rex et sapiens erit — siue intelleget — et faciet indicium et iustitiam in terra. in diebus illis saluabitur Iudas et Israhel habitabit confidenter et hoc est nomen, quo uocabunt eum — siue uocabit eum -: dominus iustus noster siue iustitia nostra, quod Hebraice dicitur \'sadecenu\'. Hoc.

quod in LXX male additum est: in prophetis, penitus amputandum; aliud enim capitulum sequitur, quod ab eis praetermissum est, quo finito titulus est: ad prophetas siue contra prophetas. de quo in suo dicemus loco. abiectis ergo pastoribus synagogae.

scribis uidelicet et Pharisaeis. et saluatis reliquiis ex Israhel apostolisque euangelii in locum priorum principum constitutis inducitur pastor pastorum et princeps principum et rex regum et dominus dominantium. Christus uidelicet saluator noster. qui proprie est \'germen iustum\' siue \'oriens iustus\', de quo legimus: orietur in diebus eius iustitia et in alio loco: ecce uir, oriens nomen eius et subter eum orietur et aedificabit templum domino, ut, quomodo in Isaia (Emmanuhel\' appellatur, hoc est \'nobiscum deus\', sic in Hieremia nomen accipiat \'iustitia nostra\'; unde et apostolus loquitur: qui factus est sapientia nobis a deo et iustitia et sanctificatio et redemtio. cui contrarius Antichristus et habitator eius diabolus in Zacharia \'stultus pastor\' dicitur.

et faciet, inquit. iudicium et iustitiam in terra; non enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. in diebus illis et duae et decem tribus, ludas et Israhel, pariter saluabuntur et de duabus uirgis iuxta Hiezechiel una uirga fiet nomenque eius, si iuxta LXX uocauerit eum dominus, appellabitur Iosedec, id est dominus iustus; si secundum Hebraicum, qui dixerunt: nomen eius uocabunt, dicetur: dominus iustitia nostra; hoc enim significat adonai sadecenu, pro quo Symmachus uertit: domine. iustifica nos!

Propter hoc ecce dies ueniant, dicit dominus, et non dicent ultra: uiuit dominus, qui eduxit filios Israhel de terra Aegypti, sed: uiuit dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israhel de terra aquilonis et de cunctis terris. ad quas eieceram eos illuc, et habitabunt in terra sua. Hoc omne capitulum in LXX non habetur; cuius hic sensus est, quod nequaquam per Mosen populus dei de Aegypto liberetur, sed per Iesum Christum de omni orbe terrarum, in quem dispersus fuerat. quod ex

parte et nunc completur in mundo et ex toto complebitur, quando de oriente et occidente, septentrione et meridie uenient et discumbent cum Abraham, Isaac et Iacob, ut. postquam subintrauerit plenitudo gentium. tunc omnis Israhel saluus fiat.

Ad prophetas siue in prophetis uel contra prophetas. Hic titulus, ut supra diximus, in editione LXX finis anterioris capituli positus est, ubi scriptum legimus: et hoc est nomen, quod appellabit eum dominus Iosedec in prophetis. quod plerique ignorantes uaria explanationis deliramenta confingunt: multoque melius fuerat simpliciter inscientiam confiteri quam imperitiae suae alios heredes facere.

est autem sermo contra prophetas, immo pseudoprophetas Hierusalem et Samariae, quos nunc communi et uulgato nomine \'prophetas\' uocat, de quibus scriptum est in consequentibus: et in prophetis Samariae uidi iniquitatem statimque: et in prophetis Hierusalem uidi horribilia. quando autem ponit coniunctionem \'et\', ostendit superiora de prophetis dicta domini, qui et ipsi pseudoprophetarum similes exstiterunt.

Contritum est cor meum in medio mei— siue in me —, contremuerunt — siue commota sunt — omnia ossa mea; factus sum quasi uir ebrius et quasi homo madidus — siue superatus — uino a facie domini et a facie uerborum sanctorum eius siue et a facie decoris gloriae eius.

Considerato uultu omnipotentis dei, hoc est patris, et considerato uultu filii. qui iuxta apostolum \'splendor gloriae\' illius appellatur et \'forma substantiae dei\', propheta et animo et corpore perhorrescit et intellegit esse se nihili, secundum quod et in alio loco dicitur: ut iumentum factus sum apud te, siue uictimam conscientiae et humilitatis suae offert deo iuxta illud. quod in psalmis scribitur: sacrificium deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum deus non spernit.

ossa autem. quae contremuerunt siue commota sunt, illa intellegamus, de quibus idem Dauid canit: omnia ossa mea dicent: domine, quis similis tui? factus est quasi ebrius et quasi homo madidus — siue superatus—uino nullam habens intellegentiam nullamque sapientiam; dominus enim nouit cogitationes hominum.

quoniam uanae sunt. si autem hoc ita est, ubi sunt, qui perfectam in homine iustitiam praedicant? quodsi responderint de sanctis se hoc dicere, non de semet ipsis, certe nullum puto sanctiorem esse Hieremia, qui uirgo, propheta sanctificatusque in utero ipso nomine praefigurat dominum saluatorem. Hieremias enim interpretatur \'domini excelsus).

Quia adulteris repleta est terra, quia a facie maledictionis — sine iuramenti — luxit terra. arefacta sunt arua — sine pascua — deserti; factus est cursus eorum malus et fortitudo eorum dissimilis. Hoc, quod nos de Hebraico posuimus: quia adulteris repleta est terra, in LXX non habetur, qui iuramentum\' dixere pro \'maledictione\'.

redditque causas, quod propter adulteria et maledicta siue superfluum iuramentum, immo periuria, frugum sterilitas consecuta sit. quicquid de terra Iudaea iuxta litteram intellegis, refer ad congregationem credentium, quoniam propter adulteria et mendacia siue periuria uirtutum et donationum dei sterilitas in ecclesiis sit.

Propheta namque et sacerdos polluti sunt et in domo mea inueni malum eorum, ait dominus. idcirco uia eorum erit quasi lubricum in tenebris; inpellentur et corruent in ea, quia afferam — sine inferam — super eos mala, annum uisitationis eorum, ait dominus. Quando in ecclesia dei, et maxime in principibus eius, inueniuntur mala, sciamus esse conpletum: propheta et sacerdos polluti sunt; in domo mea inueni mala eorum. ait dominus.

domus autem Christi ecclesia est, de qua et Paulus scribit ad Timotheum: ut scias. quomodo oporteat te in domo dei conuersari, quae est ecclesia dei uiui. columna et firmamentum ueritatis. in propheta doctorem accipe, in sacerdote ministerii dignitatem; qui si praua mente consenserint, erit uia eorum in lubricum et in tenebris nec habebunt dominum loquentem: ego lux in mundum ueni. ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. unde sanctus loquitur omnes tenebras fugiens: signatum est supernos lumen uultus tui, domine; dedisti laetitiam in corde meo.

cum autem fuerint in tenebris et in uia lubrica, errore uidelicet heretico, ad omnem motum inpellentur et corruent. et infert super eos dominus mala. non quo mala sint. ut dominus mala inferat, sed mala his, qui sustinent supplicia; alioquin eadem et mala et bona sunt: mala iuxta eos, quos cruciant.

bona iuxta eos, quos emendant. et hoc notandum, quod annus uisitationis domini correctio peccantium dicatur atque cruciatus iuxta illud, quod scriptum est: uisitabo in uirga iniquitates eorum et in uerberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo.

Et in prophetis Samariae uidi stultitiam — siue iniquitatem —; prophetabant in Bahal et decipiebant populum meum Israhel . Ego prophetas Samariae iuxta mysticos intellectus proprie hereticos dici puto et omnes, qui iactant falsi nominis scientiam.

quomodo autem prophetae Samariae, quicquid loquebantur, prophetabant in Bahal, idolo uidelicet daemonibus consecrato, sic heretici, quicquid loquuntur in ecclesia siue extra ecclesiam. ut supplantent populum Israhel. qui prius cernebat deum, loquuntur in daemonibus; unde et significanter ait: et in prophetis Samariae uidi stultitiam; non enim habent eum, de quo dicitur: \'Christus dei uirtus et dei sapientia\'.

Et in prophetis Hierusalem uidi similitudinem — siue horribilia —, adulterium et iter mendacii; et confortauerunt manus pessimorum, ut non conuerteretur unusquisque a malitia sua — siue a uia sua pessima —; facti sunt mihi omnes Sodoma et habitatores eius quasi Gomorra.

‘Non soium, inquit, ‘in hereticorum conciliabulis haec reperta sunt. sed in prophetis quoque Hierusalem, id est doctoribus ecclesiae, uidi similia siue horribilia adulterantium uerbum dei et ingredientium per uiam mendacii, ut hereticorum fallaciis adquiescerent et confortarent manus pessimorum eorumque mala suis sceleribus adiungerent et, quos corrigere debuerant, ducerent in interitum.

qui hoc fecerint, non se aestiment inpunitos! erunt enim et ipsi et hi, quibus fauent, quasi Sodoma omnesque, qui habitant cum eis nec recedunt a talibus, quasi Gomorra’. exultet igitur, quantum uult, doctrina pessima et glorientur prophetae Hierusalem, quod optinuerint per mendacium et confortauerint manus pessimorum, finis eorum erit quasi Sodoma et Gomorra.

Propterea haec dicit dominus exercituum ad prophetas: ecce ego cibabo eos absinthio — siue doloribus et iuxta Symmachum amaritudine — et potabo eos felle — siue aqua amara —. quia a prophetis Hierusalem est egressa pollutio in omnem terram.

Utamur hoc testimonio aduersum eos, qui epistulas plenas mendaciorum et fraudulentiae atque periurii in orbem dirigunt, ut et aures polluant audientum et existimationem simplicium laedant, quod impleatur in eis hoc. quod scriptum est: a prophetis Hierusalem est egressa pollutio in omnem terram; non enim eis sufficit iniquitatem propriam deuorare et proximos laedere, sed, quos semel oderunt, per uniuersum orbem infamare conantur et ubique seminare blasphemias.

Haec dicit dominus exercituum: nolite audire uerba prophetarum, qui prophetant uobis et decipiunt uos! uisionem cordis sui loquuntur et non de ore domini. dicunt his, qui blasphemant me — siue abiciunt uerbum meum —: locutus est dominus: pax erit uobis; et omni, qui ambulat in prauitate cordis sui, dixerunt: non uenient super uos mala.

Ne putaret se populus alienum esse a culpa, si peruersis adquiesceret doctoribus, ‘nolite’, inquit, ‘audire uerba prophetarum, qui uobis prophetant mendacium et decipiunt uos’, — par enim erit poena et magistro et discipulo — (non loquuntur ex ore domini, sed ea. quae in suo corde simularunt. dicunt his, qui blasphemant me\’ — hereticis uidelicet atque peruersis — ‘siue qui abiciunt sermonem meum. quid dicunt?: locutus est dominus: pax erit uobis; ne timeatis dura supplicia nec uanis comminationibus terreamini; pax erit uobis atque tranquillitas et, quicquid dicimus et annuntiamus uobis, locutus est dominus: nec ueniet super uos malum, quod timetis pro mala conscientia, sed bonum, quod uobis locutus est dominus.\’

Quis enim affuit in consilio domini et uidit et audiuit sermonem eius? quis considerauit uerbum illius et audiuit? Ubi nos interpretati sumus \’in consilio domini> et in Hebraico scriptum est ‘bassod’, Aquila \’secretum\’. Symmachus \’sermonem\’, LXX et Theodotio \’substantiam\’ siue \’subsistentiam\’ interpretati sunt.

et est sensus: \'nolite credere, o uulgus indoctum, prophetis uobis falsa annuntiantibus, qui dicunt haec: locutus est dominus: pax erit uobis; non ueniet super uos malum! unde enim possunt dei nosse secreta aut quo annuntiate domini didicere consilium? quomodo ad eos diuinae dispositionis sermo peruenit?\' quidam nostrorum in hoc loco se repperisse putant, ubi dei scribatur substantia.

Ecce turbo — siue tempestas et commotio — dominicae indignationis egreditur et tempestas erumpens super caput impiorum ueniet et non reuertetur furor domini, usque dum faciat et usque dum compleat cogitationem cordis sui; in nouissimis diebus intellegetis consilium eius.

Qui supra dixerat: 'locutus est nobis dominus: pax erit uobis' et quos corripuerat. quod non possent uentura cognoscere nec dei nosse sententiam. nunc ostendit per contraria eos omnino nescire: pro pace enim et securitate tempestatem uenire Babyloniam et uenire non super quoslibet, sed super capita impiorum uel uniuersi populi uel eorum. qui falsa populo nuntiabant. nec sicut in praeteritis temporibus dei iram furoremque placandum, sed, quod praedixit et saepissime comminatus est. opere complendum et cogitationem illius atque sententiam impiorum suppliciis conprobandam.

<cum\'. inquit. \'extremum captiuitatis tempus aduenerit et optinuerit uos uictor exultans et manus stridore uinxerit catenarum, tunc intellegetis consilium eius, quod uos frustra nunc scire iactatis\'.

Non m mittebam prophetas, et ipsi currebant an t: non loquebar ad eos. et ipsi prophetabant. si stetissent in consilio meo et nota fecissent uerba mea populo meo, auertissem utique eos a uia sua mala et pessimis cogitationibus suis.

Hunc sensum et apostolus explicat ad Romanos: et sicut non probauerunt deum habere in notitia, tradidit eos deus in reprobum sensum, ut faciant, quae non conueniunt. repletos omni iniquitate, malitia. fornicatione, nequitia, auaritia et ceteris. cum enim semel se tradiderint falsi doctores mendaciis atque periuriis et mortibus

deceptorum, non pedetemptim nec considerato gradu, sed praecipites currunt ad interitum et suum et eorum. quos deceperint.

nec loquitur eis dominus, sed ipsi loquuntur quasi ex ore domini, de quibus et dicitur: \'si stetissent in consilio meo — hoc est: si meae uoluissent adquiescere uoluntati — et nota fecissent uerba mea populo meo non blandientes eis et adulatione perdentes, ut dicerent: non habetis peccata, perfectam iustitiam possidetis: sanctitas et pudicitia atque iustitia in uobis tantummodo repperitur, et ego non tradidissem eos in inmunditiam et ignominiam. ut facerent, quae non conueniunt, et sequerentur cogitationes suas pessimas\'.

contemplemur hereticos, quomodo semel desperantes salutem gulae se tradant et deliciis, uescantur carnibus. frequentes adeant balneas, musco fraglent. unguen-

tis uariis delibuti quaerant corporum pulchritudinem. semel enim futura non sperant nec credunt in resurrectionem. quod cum sermone non pandant, ostendunt operibus: si enim crederent. ista non facerent. et in hoc loco. ubi scriptum est: si stetissent in consilio meo, Aquila, Symmachus et Theodotio et LXX ut supra similiter transtulerunt.

Numquid deus e uicino ego sum, dicit dominus, et non deus de longe? si occultabitur uir in absconditis, et ego non uidebo eum?, dicit dominus; numquid non caelum et terram ego impleo?, ait dominus. LXX: deus appropinquans ego, dicit dominus. et non deus de longe. si abscondetur homo in a absconditis, et ego non uidebo eum?, dicit dominus; numquid non caelum et terram ego impleo?, dicit dominus.

Aquila et Symmachus similiter interpretati sunt: numquid deus de propinquo — siue uicino — ego sum et non deus de longe? LXX uero et Theodotio sensu uertere contrario, ut dicerent: deus appropinquans ego. dicit dominus, et non deus de longe, quod scilicet superiores asserant deum non tantum uicina, sed et ea, quae longe sunt, cognoscere nec praesentia, sed futura conspicere; isti uero ubique deum aestiment esse praesentem nec aliquem esse locum, ubi non assit deus. omnibus enim et praecipue sanctis appropinquat deus, quomodo si uestimentum adhaereat cuti; peccatores autem longe recedentes ab eo peribunt.

hunc sensum et in psalmis legimus: quo ibo ab spiritu tuo et a facie tua quo fugiam? si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, tu ades; si sumsero pinnas meas diluculo et habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua. Amos quoque in haec uerba consentit dicens:

si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos, et si ascenderint usque in caelum, inde detraham eos; et si absconditi fuerint in uertice Carmeli, inde scrutans auferam eos. et si celauerint se ab oculis meis in profundo maris. ibi mandabo serpenti et mordebit eos. rursumque in superiore psalmo: quia tenebrae. ait. non obscurabuntur a te et nox sicut dies inluminabitur; sicut tenebrae eius, ita et lumen eius.

quod autem in prophetis crebro dicitur: \'haec dicit dominus\', propterea semper infertur, ne contemnantur quasi uerba prophetarum. sed ammoneantur iugiter dei sermones esse, quos loquuntur.

Audiui, quae dixerunt prophetae prophetantes in nomine meo mendacium atque dicentes: somniaui, somniaui—siue uidi somnium—. usquequo istud i n corde est prophetarum uaticinantium mendacium et prophetantium seductiones — sine uoluntate-s — cordis sui? qui uolunt — siue cogitant — facere, ut obliuiscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quae narrat unusquisque ad

proximum suum, sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Bahal siue in Bahal.

Quia superior titulus contra prophetas est sine ad prophetas, quos perspicue pseudoprophetas intellegimus — sunt autem multa genera prophetandi. quorum unum est somniorum, quale fuit in Danihel —, idcirco et ad eos prophetalis sermo dirigitur, qui credunt somniis et omnia, quae cernunt, putant reuelationem esse diuiuam. quae proprie sanctis et seruis dei aperitur. quodsi legimus Pharao et Nabuchodonosor impios reges uidisse somnia, quae uera fuerint. non eorum fuit meriti. qui uiderunt. sed ut per occasionem eorum sancti uiri Ioseph Danihelque clarescerent et dura corda atque indomabilia tyrannorum propria conscientia sentirent domini maiestatem.

sunt hodieque somniatores in ecclesia, et maxime in nostro grege, qui errores suos domini iactant prophetiam et crebro ingerunt: somniaui, somniaui; quos corripit dominus dicens: \'usquequo istud in corde est prophetarum uaticinantium mendacium et prophetantium seductiones cordis sui?

hoc autem faciunt. ut, quomodo antiquus populus, qui de Aegypto egressus est, oblitus est nominis dei, sic et posteri eorum obliuiscantur mei\'. huiuscemodi autem prophetatio non est in nomine domini, sed in nomine Bahal. quod proprie idolum Sidoniorum est siue Babylonium et uicino nomine appellatur Bet.

Propheta, qui habet somnium, narret somn soium et, quihabet sermonem meum, loquatur uatur sermonem meum uere! quid paleis ad triticum ?. dicit dominus; numquid non uerba mea sunt sicut ignis, ait dominus, et quasi malleus — siue securis — conterens p petram? Eorum est exponere somnium, qui dei merentur habere sermonem et dicere: \'haec dicit dominus\', quibus locutus est dominus, in quibus ueritas est et non mendacium fraudulentum.

quid sibi uolunt hereticorum paleae ad triticum ecclesiae? de quo Iohannes Baptista plenius loquitur. quod purget Christus aream suam et uentilabro paleas uentorum flatibus dispergendas urendasque ignibus derelinquat, triticum autem condat in horrea, ut condat caelestis panis et loquatur unusquisque credentium: gustate et uidete, quoniam suauis est dominus! et pulchre doctrina peruersa paleis conparatur, quae medullam non habent nec possunt nutrire credentium populos, sed de inanibus stipulis conteruntur.

et quia solent semper heretici prospera polliceri et caelorum regna peccatoribus pandere, ut dicant: parata sunt tibi regna caelorum, potes imitari maiestatem dei, ut absque peccato sis; accepisti enim liberi arbitrii potestatem et legis scientiam, per quam consequaris, quod uolueris\', decipiuntque blanditiis miseros, et maxime mulierculas oneratas peccatis, quae circumferuntur omni uento doctrinae. semper discentes et numquam ad scientiam ueritatis peruenientes, et omnes auditores suos adulatione decipiunt. idcirco dominus uerba sua hereticorum paleis

conparans dicit: \’numquid non uerba mea sunt quasi ignis, dicit dominus, et quasi malleus conterens petram?

meus enim\’, inquit, \’sermo nnntiat futura supplicia, ut deterreat homines a peccando\’. et paleis peccatorum minatur incendium, ut hereticorum corda dura et instar silicis indomabilia sermonis sui malleo conterantur, auferent cor lapideum, ut ponat pro eo cor carneum. molle uidelicet et, quod possit dei suscipere et sentire praecepta.

tale quid et per Hiezechiel dominus loquitur, quod pseudoprophetae blanditiis suis linant parietem absque temperamento, qui postea imbre uehementi et ueritate indicii subruatur, et psendoprophetides consuant ceruicalia sub omni cubito manus, ut faciant peccatores requiescere et nequaquam iram dei lacrimis mitigare.

pro \’malleo\’ LXX \’securim\’ interpretati sunt, illam uidelicet, de qua Baptista Iohannes loquitur: iam securis ad radices arborum posita est. haec securis infructuosas succidit arbores et hic malleus conterit durissimos lapides. unde et Naum propheta loquitur: furor eius — hau dubium quin dei — consumet principatus et petrae conterentur ab eo. hoc contra hereticos. ceterum de ecclesiasticis uiris scriptum est, quod malleus et securis non sint audita in domo dei.

Propterea ecce ego ad prophetas, ait dominus, qui furantur uerba mea unusquisque a proximo suo; ecce ego ad prophetas, ait dominus, qui assumunt linguas suas et aiunt: dicit — siue dormitant dormitationem —; ecce ego ad prophetas somniantes men d mendacium, ait dominus, qui narrant ea et seducunt populum meum in mendaciis suis et in m i miraculis — sine stuporibus atque terroribus — suis, cum ego non misissem eos nec mandassem eis, qui nihil pro fuerunt populo huic, dicit dominus.

Semper imitatur mendacium ueritatem et, nisi habuerit aliquam recti similitudinem, decipere non potest innocentes. quomodo igitur in priore populo mentiebantur prophetae atque dicebant: \’haec dicit dominus\’ et: \’uidi dominum\’ et: \’neris domini, quod factum est ad illum siue illum\’. sic heretici assumunt testimonia scripturarum de Ueteri et Nouo Instrumento et furantur uerba saluatoris unusquisque a proximo suo, prophetis et apostolis et euangelistis, et assumunt linguas suas, ut cordis uenena ore pronuntient, et dormitant dormitationem — de quibus uere dictum est: dormitauerunt somnum suum et inuenerunt nihil siue iuxta Hebraicum: et aiunt: dicit, ut subaudiatur \’dominus\’ ant certe (sermo diuinus\’.

comminatur itaque dominus se ipsum contra huiuscemodi magistros esse uenturum. qui seducant populum eius in mendaciis suis et in stuporibus atque miraculis. magna enim et incredibilia et ingentia repromittunt, ut seducant miseros; qui nihil profuerunt populo dei et illud implent apostolicum docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia; qui solent malis prospera et contraria nuntiare.

Si igitur interrogauerit te populus iste uel propheta aut sacerdos dicens: quod est onus domini — siue quae est assumtio domini -?, dices ad eos: uos estis onus — siue assumtio —; proiciam quippe — siue allidam — uos, dicit dominus. et propheteset sacerdos et populus, qui dicit: onus — siue assumtio — domini, uisitabo — siue ulciscar — super utrum illum et super domum eius.

haec dicetis unusquisque ad amicum suum et ad fratrem suum: quid respondit dominus et quid locutus est dominus? et onus — sine assumtio — domini ultra non memorabitur, quia onus — siue assumtio — erit unicuique sermo suus.

Uerbum Hebraicum \'massa\' Aquila ἆρμα, id est \'onus\' et \'pondus\', interpretatur; Symmachus, LXX et Theodotio \'assumtiouem\'. ubicumque ergo graue est, quod dominus comminatur, et plenum ponderis ac laboris et inportabile, in titulo quoque ἆρμα, hoc est \'pondus\', dicitur; ubicumque autem prospera dominus pollicetur sine post comminationem meliora promittit, ibi \'uisio\' dicitur uel certe \'uerbum domini>; et perspicuum erat ex ipso titulo prophetiae \'ponderis\' sine \'uisionis\' et uerbi dei\', qualis uaticinatio sequeretur.

quia igitur prophetae solebant populo peccaton tristia nuntiare et comminari supplicia, ut eos retraherent ad paenitentiam, clemens autem et miserator dominus diu sententiam differebat, putabat deceptus populus et pseudoprophetarum fraude seductus non uentura, quae dominus minabatur, et rem seueram in ludum et iocum conuerterant prophetantibusque prophetis quasi inridentes dicebant: (rursum hic uidet pondus et onus domini\'. atque ita fiebat, ut nequaquam ultra \'uisio\', sed per iocum atque derisum \'onus\' et \'pondus\' appellaretur.

praecipit ergo dominus, ut, siue populus sine propheta siue sacerdos interrogauerint Hieremiam, quod sit pondus uel quae assumtio domini. respondeat eis et dicat: \'uos estis onus et uos assumtio; assumam enim uos et proiciam allidamque et interire faciam. si quis autem deinceps uel prophetarum uel sacerdotum uel populi ausus fuerit onus et pondus domini nominare, uisitabo\', inquit. \'super uirum illum et super domum illius et eum delebo in perpetuum\'.

dicat itaque unusquisque proximo et amico suo nequaquam: quod est onus domini?, sed: \'quid respondit dominus et quid locutus est dominus? ueteris obliuiscimini; onus et pondus siue assumtio in ore uestro ultra non resonet. quia singulis hominibus sermo suus et opus suum in onus pondusque reputabitur secundum illud, quod scriptum est: ex ore tuo iustificaberis et ex ore tuo condemnaberis\'.

Et peruertitis uerba dei uiuentis, domini exercituum, dei nostri. haec dices — siue dicetis — ad prophetam: quid respondit tibi dominus et quid locutus est dominus?

si autem onus domini dixeritis — hucusque in LXX non habetur: et sequitur: propter hoc haec dicit dominus in u s: quia dixistis sermonem istum : onus - siue assumtio — domini et misi ad uos dicens: nolite dicere onus — siue assumtionem —

domini, propterea ecce ego tollam — siue assumam — uos portans et derelinquam uos et ciuitatem, quam dedi nobis et patribus uestris, a facie mea et dabo uos in opprobrium sempiternum et ignominiam aeternam, quae numquam obliuione delebitur.

Praecepit dominus, ut nequaquam \'oneris\' et \'ponderis\' et \'assumtionis\' sermo diceretur in populo, sed \'responsionis\' et \'uerbi dei\'. quod quia populus implere contemserat, ipsum uerbum interpretatur super eis et dicit: (quoniam dixistis. quod nolui, et hoc, cum saepe prophetas mitterem et iuberem, ne diceretis. propterea sermonem uestrum assumtionis, oneris et ponderis in nobis opere conplebo; assumam quippe uos et tollam atque portabo et allidam ac de sublimibus in terram corruere faciam — non solum autem uos, sed et urbem uestram, quam dedi patribus uestris — et dabo\', inquit, (in opprobrium et ignominiam sempiternam, quae numquam obliuione delebitur\'.

hoc autem et tempore Babyloniae captiuitatis factum esse nouimus; sed plenius atque perfectius post saluatoris passionem resurrectionemque completur, quando locutus est dominus: relinquetur nobis domus uestra deserta, et usque ad finem eius sententia permanebit.

dicamus et aliter dumtaxat iuxta LXX: λήμμα non solum \'assumtionem\', sed et <donum munusque\' significat. que igitur sibi populus semper prospera promittebat, dicit eos nequaquam ultra hoc debere dicere; indignos enim esse eos donis dei atque muneribus. quin potius abiciendos et a dei auxilio penitus relinquendos.

et uerbis autem et interpretatione nominum saepe res ostenduntur. ut Abraham, Sarrae et Petri et filiorum Zebedaei uocabula commutata significant rerum mutationem et in hoc eodem pro pheta \'Phaschor\' dicitur \'pauor\' siue \'translatio\' et (\'colonus\' siue \'peregrinus\'. notandum, quod uerba: dei uiuentis, domini exercituum, dei nostri Latini et Graeci codices non habeant et Hebraei in suis uoluminibus contra se legant, quod proprie mysterium significat trinitatis.

Liber Qvintus

Quintus commentariorum in Hieremiam liber a duobus. frater Eusebi. calathis habebit exordium, quorum alter rectae fidei dulcedinem, alter hereticorum perfidiae amaritudinem demonstrabit. quamuis Ananias. filius Azur, repugnet Hieremiae et Semeias Nehellamites prophetam mitti cupiat in carcerem et Sophonias sacerdos in pseudoprophetarum uerba coniuret. tamen ueritas claudi et ligari potest, uinci non potest, quae et suorum paucitate contenta est et multitudine hostium non terretur.

erige itaque cum Mosi ad caelum manus et antiquum serpentem in heremo suspende, statimque et Amalec delebitur et uenenati morsus non praeualebunt securusque populus domini cum Iesu Iordanis fluenta transibit et post uastam solitudinem comedet panem, qui in Bethleem nostro natus est uiculo.

Ostendit mihi dominus et ecce duo calathi — sine iuxta Symmachum cophini — pleni ficis positi ante templum domini, postquam transtulit Nabuchodonosor. rex Babylonis, Iechoniam, filium Ioiacim, regem Iuda, et principes eius et fabrum et inclusorem de Hierusalem et adduxit eos in Babylonem calathus unus ficus bonas habebat nimis. ut solent ficus esse primi temporis. et calathus unus ficus habebat malas nimis, quae comedi non poterant eo, quod essent malae.

et dixit dominus ad me: quid tu uides, Hieremia? et dixi: ficus bonas, bonas ualde, et malas, malas ualde, quae comedi non possunt eo, quod sint malae. et factum est uerbum domini ad me dicens: haec dicit dominus deus Israhel: sicut ficus hae bonae, sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldeorum.

in bonum. et ponam oculos meos super eos in bonum et reducam eos in terram hanc et aedificabo eos et non destruam et plantabo eos et non euellam. et dabo eis cor, ut sciant me, quia ego sum dominus, et erunt mihi in populum et ego ero eis in deum, quia reuertentur ad me in toto corde suo.

quia sicut ficus pessimae, quae comedi non possunt co, quod sint malae. haec dicit dominus, sic dabo- sine tradam — Sedeciam, regem Iuda, et principes eius

et reliquos de Hierusalem, qui remanserunt in urbe hae et qui habitant in terra Aegypti.

et dcibo eos in uexationem affictionemque — siue dispersionem — omnibus regnis terrae, in opprobrium et in parabolam et in prouerbium et in maledictionem uniuersis locis, ad quae eieci eos. et mittam in eos gladium et famem et pestem, donec consumantur de terra, qua?n dedi eis et patribus eorum.

Duos cophinos siue calathos bonarum et malarum ticorum quidam interpretantur in lege et in euangelio, synagoga et ecclesia, Iudaeorum populo et Christianorum, gehenna et regno caelorum, quorum alterum ad supplicium pertinet peccatorum, alterum ad sanctorum habitaculum.

sed nos scientes iuxta apostolum Paulum legem bonam et sanctam et mandatum bonum et sanctum et unum esse utriusque Testamenti deum, uel ad eos magis referamus, qui in aduentu domini saluatoris crediderunt et non crediderunt, ut. qui a scribis et sacerdotibus concitati clamauerunt dicentes: crucifige, crucifige talem, sint calathus ficorum malarum; qui uero post ascensionem eius de populo crediderunt, ad bonas ficos et ad calathum cophinumque optimum referantur.

simplicem autem et ueiam sequamur historiam. quod bonarum ficorum calathum dixerit Iechoniam. qui se Hieremiae consilio et imperio dei tradiderat regi Babylonio, cui et prospera dominus pollicetur; malarum autem Sedeciam, qui contradicens sententiae dei captus sit caecatusque oculis ductus in Babylonem ibique mortuos.

in tantum autem deus posuit oculos suos (super eos) in bonum, qui imperio eius adquieuerunt, et reduxit illos in terram suam et aedificauit et non destruxit et plantauit et non euellit deditque eis cor, ut scirent eum, quod ipse esset dominus, et fierent illi in populum et ipse eis esset in deum, ut etiam in captiuitate posuerit oculos suos super illos et exercere terram, aedificare domos, plantare pomaria in Babylonia regione permiserit, Danihel signorum miraculis de captiuo subito princeps factus sit et tres pueri gloriose de fornacis incendio liberati sint et expletis annis septuaginta sub Zorobabel et Hiesu sacerdote magno et Ezra ac Neemia plurima pars reuersa sit Hierusalem. quorum numerus in eiusdem Ezrae uolumine continetur.

notandum quoque, quod haec uisio Sedeciae temporibus facta sit ad prophetam, postquam Iechonias ductus est in \'transmigrationem\'; non enim dixit \'captiuitatem\', quia se ultro tradiderat. fabros autem et inclusores uel legis interpretes atque doctores debemus accipere uel artifices clusoresque auri atque gemmarum, quae ars apud barbaras nationes pretiosissima est. pro \'inclusoribus\' LXX \'uinctos\' interpretati sunt, ut captiuitatis significarent malum, et de suo addidere \'diuites\', quod in Hebraico non habetur.

conparat autem calathum, qui bonas ficos habebat, et bonas nimis, ficis primi temporis - quae Graece appellantur πρόιμα —, Abrahae uidelicet et Isaac et Iacob et Mosi et Aaron et Iob et ceteris sanctis uiris, de quibus unus duodecim loquitur prophetarum: sicut uuam in deserto inueni Israhel et sicut ficos in ficulnea inueni patres eorum; unde et nos appellamur filii Abraham et e contrario dicitur ad Iudaeos: si pater uester esset Abraham, faceretis opera eius. hi autem calathi, qui bonas habebant et malas ficos, non erant foris et extra ecclesiam, sed ante templum domini eo, quod cuncta illius scientiae pateant.

nec tantam habent amaritudinem hae ficus, quae foris sunt, quantam illae, quae post confessionem fidei praeuaricatione mutatae sunt; nec tantam suauitatem bonae ficus. quae non sunt in conspectu templi dei — quales fuerunt mundi philosophi, qui naturali bono et intellegentia creatoris non tam sequi nisi sunt quam laudare uirtutes —, quantam habent suauitatem ficus, quae sunt in templo dei, quarum fuerunt prophetae et apostoli, de quibus una ficus loquebatur: lac uobis dedi, non solidum cibum et: filioli mei. quos iterum parturio, donec Christus formetur in uobis. unde dicitur, quod in conspectu templi dei ficus bonae fuerint bonae ualde et ficus malae fuerint malae ualde.

ac ne putemur nostrum sensum ponere, ipsa scriptura se pandit. sicut, inquit, ficus hae bonae. sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldeorum, in bonum Iechoniam et principes. qui cum eo capti sunt, significans.

et e contrario de Calatho, qui malas habebat ficos: et sicut ficus. ait, pessimae. quae comedi non possunt eo, quod sint malae. sic dabo Sedeciam, regem Iuda, et principes eius et eos, qui in Aegyptum transfugerunt et, qui remanserunt in urbe hac. in uexationem afflictionem que omnibus regnis terrae, quando in Aegypto quoque capti sunt et Nabuchodonosor posuit in Taphnis solium suum misitque super eos dominus gladium, famem et pestem, donec consumerentur de terra, quam dedit patribus eorum.

quod autem dixit de ficis bonis: dabo eis cor. ut sciant m e, quia ego sum dominus, illi simile est apostolico: deus est. qui operatur in uobis et uelle et perficere, quod non solum opera, sed et uoluntas nostra dei nitatur auxilio.

delirat in hoc loco allegoricus semper interpres et uim cupiens historicae facere ueritati de caelesti Hierusalem captos refeit atque translatos in terram Chaldeorum rursumque ad locum pristinum reuersuros, ut Hieremiam et ceteros sanctos prophetas; alios uero, qui peccatores fuerint. in terra hac et in ualle lacrimarum esse morituros. totam uisionis huius simul proposui περιϰοπήν, ne sensum in expositione diuiderem.

Uerbumquod factum est ad Hieremiam de omni popul-o Iudaeae — siue super omnem populum Iuda — in anno quar to Ioiacim, filii Iosiae, regis Iuda da. Haec

priora sunt praeterita uisione; illa enim sub Sedecia facta est, postquam Iechonias translatus est Babylonem, haec autem sub Ioiacim.

filio Iosiae et patre Iechoniae. non enim curae erat, ut ante iam dixi, prophetiae tempora conseruare, quae historiae leges desiderant, sed scribere, utcumque audientibus atque lecturis utile nouerant; unde et in Psalterio male quidam iuxta textum historiae psalmorum requirunt ordinem, quod in lyrico carmine non obseruatur.

Ipse est annus primus Nabuchodonosor, regis Babylonis. quod in LXX non habetur: et sequitur: quod locutus est Hieremias propheta ad omnem populum Iuda da et ad uniuersos habitatores Hierusalem dicens. Quarto anno regis Ioiacim, filii Iosiae, patris Iechoniae, Nabuchodonosor in Babylone suscepit imperium atque ita factum est. ut annus, qui primus erat Nabuchodonosor in Babylone, quartus esset in Hierusalem regis Ioiacim.

denique octauo anno regni sui Iechoniam cum matre et principibus duxit in captiuitatem, qui tribus tantum post interfectionem patris Ioiacim regnarat mensibus. interfectus est autem Ioiacim undecimo anno regni sui in Hierusalem.

A tertio decimo anno Iosiae, filii Amon, regis Iuda, usque ad diem hanc, iste est tertius et uicesimus annus, factum est uerbum domini ad me et locutus sum ad uos de nocte consurgens et loquens; et non audistis.

Tertio decimo auno regni Iosiae, qui regnauit in Hierusalem annis triginta et uno, Hieremias prophetare exorsus est et prophetauit sub eo annis decem et nouem, cui successit in regnum filius eius Ioachaz; quo statim ducto in captiuitatem a Nechao, rege Aegyptio, regnum optinuit Ioiacim, frater eius, in cuius regni quarto anno iste ad Hieremiam sermo fit domini. ac per hoc uicesimus tertius annus erat Hieremiae prophetae, ex quo loqui coepit ad populum et numquam praedicare cessauit, sed singulis diebus diluculo et de nocte consurgens loquebatur ad populum; et non, inquit, audistis.

sin autem, ut noui ex ueteribus heretici uolunt, lex semel in adiutorium data est et constituta praecepta, quae nostri arbitrii uoluntate uel facimus uel non facimus, quomodo propheta se semper ingerit et cotidie replicat mandata dei, quae utique semel accepta suffecerant eis, quibus data fuerant, nisi ut hoc ostendat dei nos indigere semper auxilio et numquam posse sufficere, quod semel datum est, nisi cotidie domini ammonitione renouetur?

Et misit dominus ad uos omnes seruos suos, prophetas, consurgens diluculo mittensque; et non audistis. Non per unum prophetam, sed per omnes populum suum deus semper ammonuit et quasi ipse in uigiliis atque excubiis constitutus surrexit diluculo, ut suum populum commoneret. et non, inquit, audistis, ut, quanto crebrior admonitio, tanto contemnentium fuerint peccata maiora.

Neque inclinastis aures uestras, ut audiretis, cum dicerem: reuertimini unusquisque a uia sua mala et a pessimis cogitationibus uestris, et habitabitis in terra, quam dedit dominus uobis et patribu-s uestris a saeculo et usque in saeculum.

Tanta fuit duritia populi. ut ne habitum quidem audientis assumeret et inclinaret aurem suam praecipue domino commonente, ut reuerteretur unusquisque a uia sua mala et a pessimis cogitationibus suis. et o infinita clementia, non supplicium inferre pro scelere, sed ad paenitentiam prouocare tam malorum operum, quae significat uia mala, quam pessimarum cogitationum, quae et ipsae absque opere reputantur in peccatum!

et promittit praemium. si fecerint, quod praeceptum est, ut habitent in terra, quae data sit patribus et propter filiorum uitia sublata. quodque ait: a saeculo et usque in saeculum siue: ab aeterno usque in aeternum, ostendit dei dona perpetua, si digni exstiterint hi, quibus data sunt.

Et nolite ire post deos alienos, ut seruiatis eis adoretisque eos, neque me ad iracundiam prouocetis in operibus manuum uestrarum, et non affligam uos; et non audistis me. Et haec\', inquit, \'monebam cum superioribus, ne alienis dis seruiretis et adoraretis eos et ne ista faciendo me prouocaretis ad iracundiam propter opera manuum uestrarum, ut facerem, quod nolebam, et affligerem uos; et non audistis me\'.

quodque sequitur: dicit do minus, ut me ad iracundiam prouocaretis in operibus manuum uestrarum in malum uestrum, in LXX non habetur.

Propterea haec dicit dominus exercituum: pro eo, quod non audistis uerba mea, ecce ego mittam et assumam uniuersas cognationes aquilonis, ait dominus, et Nabuchodonosor, regem Babglonis, seruum meum. \'Quia me ad iracundiam prouocastis et fecistis malum in interitum uestrum et prouocantem ad paenitentiam superbo calcastis pede, mittam\', inquit, ad uniuersas cognationes siue nationes aquilonis et adducam principem earum Nabuchodonosor, regem Babylonis, seruum meum\'.

mittit autem dominus uel angelos, ut concitent gentes, uel certe huiuscemodi mouet cogitationes, ut faciant domini uoluntatem. quodque uocat \'seruam suum\' Nabuchodonosor, non sic \'seruus\' uocatur ut prophetae et omnes sancti, qui uere seruiunt domino, sed quo in euersione Hierusalem domini seruiat uoluntati, secundum quod et apostolus loquitur: quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare. in aquilonis autem parte esse Chaldeos iuxta situm Hierusalem nulli dubium est.

Et adducam eos super terram istam et super habitatores eius et super omnes nationes, quae in circuitu illius sunt, et interficiam eos et ponam eos in stuporem et in sibilum et in solitudines sempiternas .

Ista sunt praemia contemtorum et dei uerba audire nolentium; quicquid igitur super nos mali adducitur, nostra peccata fecerunt. omnesque gentes, ut tunc adductae sunt contra Hierusalem, sic hodie adducuntur contra ecclesiam neglegentem, ut interficiat eos et ponat in stuporem et in sibilum et in solitudines sempiternas, ut in exemplo sint omnium atque miraculo. sibilus autem miraculi et stuporis indicium est et solitudo sempiterna in his deprehenditur, qui praesidem non habent deum.

Perdamque ex eis uocem gaudii et uocem laetitiae, uocem sponsae et uocem sponsi, uocem molae et lumen lucernae. et erit uniuersa terra eius in solitudinem et in stuporem.

Hoc in conciliabulo malignantium et hodie conprobatur, ut magistri eorum non doceant uerbum dei, sed instar colubri sibilent. peritque in eis uox gaudii uoxque laetitiae, ut numquam audiant illud apostoli: gaudete, iterum dico gaudete! uox quoque sponsae: ecclesiasticae fidei, et uox sponsi: domini saluatoris; qui enim habet sponsam, sponsus est; uox molae, ut non conterantur in ea frumenta et populis uescenda tribuantur, et lumen lucernae, doctrina uidelicet et scientia prophetarum; denique et de Iohanne Baptista dicitur: ille erat lucerna lucens, et alius propheta: lucerna, inquit, pedibus meis uerbum tuum, domine, et lux semitis meis.

\'uniuersa\', inquit, \'terra hereticorum erit in solitudinem et in stuporem. cum nouissimum eius insipiens fuerit demonstratum\'.

Et sentient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis. cumque impleti fuerint anni septuaginta, uisitabo super regem Babylonis ei super gentem illam, dicit dominus, iniquitates eorum et super terram Chaldaeorum et ponam illam in solitudines sempiternas. et adducam super terram illam omnia uerba mea, quae locutus sum contra eam, omne. quod scriptum est in libro isto, quaecumque prophetauit Hieremias aduersum omnes gentes.

Sicut Hierusalem post septuaginta annos recipit pristinos habitatores et expletis suppliciis, quia oboediuit sententiae dei, felicitate pristina fruitur, sic rex Babylonis, quia elatus est in superbiam et suarum arbitratus est uirium, quod regnauit in gentibus, et non domini uoluntatis, Medis Persisque uenientibus destruetur.

denique usque hodie urbis Babylonis reliquiae tantum manent et posuit illam dominus in solitudinem sempiternam et impleuit omnia uerba, quae in istius ipsius prophetae uolumine continentur. nam in consequentibus, quae mala passura sit Babylon, Hieremiae sermo describit.

Quia seruierunt eis, cum essent gentes multae et reges magni; et reddam eis secundum m opera eorum et secundum facta manuum suarum. Hoc in LXX non habetur. significat autem, quod non solum contra Babylonem prophetauerit Hieremias, sed et contra ceteras gentes, quae in Babylonio fuere exercitu et contra domini populum dimicarunt.

denique in sequentibus dicitur contra Aegyptum et Philistiim et Moab et Ammon et Idumeam. et Damascum et Cedar et regna Asor et Aelam et ad extremum contra Babylonem terramque Cbaldeam.

Quia sic ait dominus deus Israhel ad me: sume calicem uini furoris — siue meri — huius de manu mea et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te; et bibent et inebriabuntur — siue uoment - et insanient a facie gladii. quem ego mittam inter eos. et accepi calicem de manu domini et propinauicunctis gentibus, ad quas misit me dominus.

Propinatio calicis, et calicis \'meri\' siue \'non mixti\', quae Graece dicitur άκράτοο. dominici furoris indicium est, ut omnes gentes, quae contra dei populum militarunt, bibant de calice furoris domini, de quo scribit et Isaias contra Hierusalem: scyphum furoris, calicem ruinae ebibisti et euacuasti; propterea consurge! iste autem calix idcirco bibitur a cunctis gentibus, ut uomant et insaniant.

quod quidem prauus interpres in bonam partem accipit, ut instar catharticae potionis?, quidquid cholerum et pituitae et noxii umoris in pectore est. foras exire conpellat et restituat pristinam sanitatem. pro Hieremia quoque saluatorem accipit, quod ipse cunctis gentibus propinarit, ad quas et missus est, ut abiecta idololatria dei se cultui dedicarent. quod contrarium esse scripturae sanctae monstrabunt sequentia; non enim pro remedio, ut ille uult. sed pro poena meraco calice propinantur.

Hierusalem et ciuitatibus Iuda et regibus eius et principibus eius, ut darem eos in solitudinem et in stuporem et in sibilum et in maledictionem, sicut est dies ista.

\'Putabam\', inquit,\'quod solis gentibus propinarem, et ideo me huic ministerio laetus optuleram; sed inter ceteras. gentes, immo ante ceteras, propinaui Hierusalem et ciuitatibus Indae et regibus eius et principibus, ut darem eos in stuporem et in solitudinem et in sibilum et in maledictionem. sicut et praesenti probatur exemplo\'. unde dicit et supra: seduxisti me, domine. et seductus sum, inualuisti et potuisti!

Pharaoni, regi Aegypti, et seruis eius et praesenti eius et omni populo eius (et uniuersis gene- raliter. Post Hierusalem bibit Pharao. rex Aegypti, et socii eius, biberunt principes et uniuersus populus cunctusque, qui non quidem est Aegyptius, sed in eius regionibus commoratur, quos LXX uertere συμμίχτους, id est \'misticios\', uulgus non Aegyptiae regionis, sed peregrinum et aduenticium.

Cunctis regibus terrae Ausitidis. Quae Hebraice appellatur \'Us\', de qua et Iob fuisse narrat historia: homo quidam erat in regione Ausitidi, nomine Iob. et tamen sciendum hunc uersiculum in LXX non haberi Theodotionemque pro \'Us\' interpretatum esse \'insulam\'.

Et cunctis regibus terrae Philistiim et Ascalonis et Gazae et Accaron et reliquiis Azoti. Generaliter posuit Philistiim, hoc est terram Palestinorum, et specialiter urbes eorum Ascalonem, Gazam, Accaron, Azotum; solam tacuit Geth, quae continetur in \'reliquiis\'. hoc est enim, quod scriptum est: et reliquiis Azoti; uicina enim atque confinis est Azoto, quae Hebraice dicitur Esdod, regio urbis Geth. Palestinos autem a Babyloniis captos atque uastatos scribit et Isaias.

Idumeae et Moab et filiis Ammon et cunctis regibus Tyri et uniuersis regibus Sidonis. Idumea, in qua sunt montes Seir et quae Hebraice appellatur Edom; Moab et Ammon ipsi sunt filii Lot, proximi Maris Mortui. Tyrus et Sidon in Phoenicis litore principes ciuitates, quae et ipsae Babylonio ueniente superatae sunt. quarum Carthago colonia; unde et Poeni sermone corrupto quasi Phoeni appellantur, quorum lingua Hebraeae linguae magna ex parte confinis est.

Et regibus insularum, quae sunt trans mare. Transit Cyprum et Rhodum et insulas, quae appellantur Κυκλάδες; et hae enim a Babyloniis occupatae sunt.

Et Daedan et Theman et Bux et uniuersis. qui attonsi sunt in comam. Hae gentes in solitudine sunt, uicinae et mixtae regionibus Ismahelitarum, quos nunc Saracenos uocant et de quibus dicitur: qui attonsi sunt in comam.

Et cunctis regibus Arabiae. Hoc in LXX non habetur. post Daedan igitur et Theman et Buz et Ismahelitas regionum ordinem sequitur.

Et cunctis regibus occidentis, qui habitant in deserto, et cunctis regibus Zamri. Hoc quoque in LXX non habetur.

Et cunctis regibus Aelam cunctisque regibus Medorum. Ex eo, quod Zamri sequuntur Aelam regesque Medorum, arbitramur et Zamri regionem esse Persidis, nisi forte ex eo, quod praecessit Arabia, et hi reges solitudinis accipiendi sunt. Aelam autem regio Persidis trans Babylonem: unde et Aelamitae, Medi quoque atque Persae, a quibus capta et destructa est Babylon; et ipsi enim meracum calicem Alexandro, rege Macedonum. propinante potarunt.

Et cunctis regibus aquilonis de prope et de longe. Quia Persidis et Babylonis, Aelam atque Medorum enumerauerat regiones, nunc generaliter ponit omnes reges aquilonis, qui prope sunt et longe. Pro \'aquilone\', qui Hebraice dicitur \'safun\', LXX uertere ἀφφηιώτην, quem nos \'subsolanum\' possumus dicere.

Unicuique contra fratrem suum et omnibus regnis terrae, quae super faciem eius sunt. Ne cunctas orientalis prouinciae regiones enumerare per partes longum

fieret. generaliter posuit omnia regna terrae, quae morantur in terra. quod autem dixit: contra fratrem suum. subau ditur \'dedi meracam potionem\', ut omnes furerent. uomerent, insanirent et mutuis inter se proeliis dimicarent. quodque intulit:

Rex Sesach bibet post eos et in LXX non habetur, hunc habet sensum: \'Omnes\'. inquit. \'in circuitu nationes Babylonio imperio subiacebunt et cuncta suae subiciet potestati. ita ut uniuersae, quas praeteritus sermo narrauit, gentes ipsi seruiant et bibant de calice eius\': unde et in uisione contra Babylonem scribitur: calix aureus Babylon inebrians omnem terram. nouissimus autem rex Babylonis bibet hanc potionem propinante sibi ascensore bigae, cameli et asini Cyro. rege Medorum atque Persarum.

quomodo autem Babylon, quae Hebraice dicitur\'Babel. intellegatur \'Sesach\'. non magnopere laborabit, qui Hebraeae linguae saltim paruam habuerit scientiam. sicut apud nos Graecum alfabetum usque ad nouissimam litteram per ordinem legitur. hoc est \'alfa, beta\' et cetera usque ad \'o\', rursumque propter memoriam paruulorum solemus lectionis ordinem uertere et primis extrema miscere, ut dicamus \'alfa o, beta psi\', sic et apud Hebraeos primum est \'aleph\', secundum \'beth\', tertium \'gimel\' usque ad uicesimam secundam et extremam litteram \'thau\', cui paenultima est \'sin\'.

legimus itaque \'aleph thau, beth sin\', cumque uenerimus ad medium. \'lamed\' litterae occurrit \'chaph\'; et ut, si recte legatur. legimus \'Babel\', ita ordine commutato legimus \'Sesach\'. uocales autem litterae inter \'beth et beth (et) lamed\' (et <sin et sin) et chaph\' iuxta ἰδίωμα linguae Hebraeae in hoc nomine non ponuntur arbitrorque a sancto propheta prudenter fuisse celatum, ne aperte eorum contra se insaniam commoueret. qui obsidebant Hierusalem et iam iamque eius potituri erant.

quod et apostolum contra imperium Romanum fecisse legimus scribentem de Antichristo: non meministis, quod, cum apud uos essem adhuc, haec dicebam uobis? et nunc quid detineat, scitis, ut reueletur in suo tempore, subauditur Antichristus. iam enim mysterium iniquitatis operatur: tantum. qui tenet modo. donec de medio fiat. et tunc reuelabitur iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet inluminatione aduentus sui. eum, \'qui tenet\'. Romanum ostendit imperium; nisi enim hoc destructum fuerit sublatumque de medio, iuxta prophetiam Danihelis Antichristus ante non ueniet. quod si aperte dicere uoluisset, stulte persecutionis aduersum Christianos et tunc nascentem ecclesiam rabiem concitasset.

longius, quam commentariorum breuitas patitur, de hoc capitulo diximus, quod Graeci forsitan Latinique fastidient, quia in suis codicibus non habetur. sed quid proderit, cum in consequentibus hic ipse propheta dicat: quomodo capta est Sesach et conprehensa est inclyta uniuersae terrae, quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes?

allegorici interpretes istum omnem locum ad cunctas referunt nationes, quas inebriauerit diabolus calice peccatorum meracissimo; nouissimum enim etiam ipsum bibiturum supplicia atque cruciatus, de quo scribat apostolus: quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. unde et in alio loco dicat: nouissimus autem inimicus destruetur mors. quod magnarum uirium est posse diuersarum uocabula nationum transferre sub ἐτυμολογίαις suis et singula uitia singulis nominibus coaptare.

Et dices ad eos: haec dicit dominus exercituum deus Israhel: bibite et inebriamini et uomite et cadite et nolite consurgere a facie gladii, quem ego mittam in uos! \'Postquam\', inquit, \'cunctis gentibus propinaris et impleueris praeceptum domini, rursum haec uerbis domini imperabis et dices: bibite et inebriamini et uomite et cadite et nolite consurgere!\' si \'bibere.

inebriari, uomere et cadere\' salutis indicium est, ut instar catharticae potionis noxia quaeque pellantur, quomodo sequitur: et nolite consurgere? quae sit autem potio, quae eos cadere faciat in aeternum, ponit manifestius, id est: a facie gladii. quem ego mittam inter uos.

Cumque noluerint accipere calicem de manu, ut bibant, dices ad eos: haec dicit dominus exercituum: bibentes bibetis, quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere; et uos quasi innocentes immunes eritis — siue et uos munditia mundi eritis —? non eritis immunes siue non eritis mundi.

Latenter ostendit praeceptum dei. qui uoluntate facere noluerint, suscepturos necessitate et audituros: bibentes bibetis. \'uelitis\'. inquit. \'nolitis, dei conplenda sententia est. si enim ciuitas Hierusalem, in qua notum fuit nomen dei dicente propheta: notus in Iudaea deus: in Israhel magnum nomen eius, bibit meracum calicem furorisque, quanto magis uos non eritis mundi. qui pro dei nomine idola colitis!1

Gladium enim ego uoco super omnes habitatores terrae, dicit dominus exercituum. Ista est potio meracissima, iste calix furoris domini, qui non super solam Hierusalem, sed super omnem uocatur terram et cunctas in circuitu nationes; de quo supra dixerat: et mittam ad Nabuchodonosor, regem Babylonis, seruum meum, et adducam eos super terram istam et super habitatores eius et super omnes nationesquae in circuitu illius sunt.\'

Et tu prophetabis ad eos omnia uerba haec et dices ad illos: dominus de excelso rugiet — sine responsum dabit — et de habitaculo sancto suo dabit uocem suam; rugiens rugiet super decorem suum — siue respondebit super locum suum —, celeuma quasi calcantium concinetur aduersum omnes habitatores terrae. peruenit sonitus — sine interitus — usque ad extrema — siue super partem — terrae, quia iudicium domino cum gentibus; iudicatur ipse cum omni carne; impios tradidit gladio, dicit dominus.

Primum dicamus, ut se interpretationis ueritas habet. \'cunctis\', inquit, \'gentibus prophetabis et dices, quod dominus de excelso rugiat, hoc est: det sui furoris indicium iuxta illud, quod scriptum est: leo rugiet, et quis non timebit? dominus locutus est, et quis non prophetabit?\' et de habitaculo sancto suo dabit uocem suam. ut cunctos terreat audientes.

rugiet autem super decorem suum, hoc est super templum. cumque ille rugierit. instar calcantium in torcularibus celeuma cantabitur et in effusione sanguinis mutui carmen lugubre concinetur, quod Symmachus χατάλεγμα,Aquila ἰασμὸν uocat, cuius celeumatis et carminis sonitus usque ad terrae extrema perueniet, quia iudicium domini cum gentibus.

si autem iudicium domini cum gentibus est, sunt et gentium merita diuersa. ad exponendum illum locum, ut quidam uolunt: qui non credit. iam iudicatus est. iudicatus quidem est in eo, quod non credidit; sed ipsi, qui non credunt inter se, diuersis afficientur suppliciis. iudicatur ipse cum omni carne, ut nullus iniudicatus abeat. impios autem — hoc est, qui domino non credunt, — tradit gladio sempiterno.

allegorici interpretes iuxta LXX hunc locum sic disserunt, ut ad bonam partem referant apertam domini comminationem. \'dominus\', inquiunt. \'de excelso responsum dabit, his uidelicet, quos saluaturus est, et de loco sancto suo dabit uocem suam respondebitque sermonem in loco suo. illi autem quasi uindemiantes pleni fructibus illius sententiae respondebunt. super omnes habitatores terrae ueniet interitus, non super uniuersam terram, sed super partem terrae, eorum uidelicet, qui non credunt; iudicium enim (domino) erit in gentibus et ipse iudicabitur cum omni carne, impii autem tradentur gladio\'.

Haec dicit dominus exercituum: ecce afflictio — siue malum — egredietur de gente in gentem et turbo magnus — siue tempestas — egredietur a summitatibus — siue extremis — terrae. et erunt interfecti domini — siue uulnerat a domino — in die illa a summo terrae usque ad summum eius; non plangentur et non colligentur neque sepelientur; in sterquilinium super faciem terrae iacebunt.

Erubescant, qui uim scripturae sanctae facere conantur in bonam partem ea, quae comminationis plena sunt, disserentes. de hoc autem loco puto dixisse et dominum: consurget gens aduersum gentem et regnum contra regnum et cetera, quae in ipsa euangelii sententia continentur. intellegamus autem haec facta iuxta historiam.

quando a rege Babylonio cunctae nationes in circuitu subiugatae sunt et imperium eius sensere crudele, uel iuxta prophetiam longo post tempore in consummatione mundi futura. dicunturque interfecti a domino, non quod dominus ipse percutiat, sed quo in interitu pessimorum uoluntas et imperium domini conpleatur.

Ululate — siue iubilate —, pastores, et clamate et aspergite uos cinere, optimates gregis siue plangite. arietes ouium —, quia conpleti sunt dies uestri. ut interfici-

amini, et dissipationes uestrae et cadetis quasi uasa pretiosa — siue quasi arietes electi —. et pe r ibit fuga a pastoribus et s a saluatio ab optimatibus — siue arietibus — gregis.

Notandum, quod in hoc tantum loco LXX \'iubilum\' in malam partem posuerant. pro quo alii interpretes \'ululatum\', ut in Hebraeo scriptum est, transtulere. inter pastores et arietes siue optimates gregis ista distantia est, quod pastores rationalium sunt. arietes autem et optimates referantur ad diuites, qui et ipsi pars gregis appellantur.

quodque infert: conpleti sunt dies uestri, ut interficiamini, tunc conplebuntur dies eorum, quando fuerint peccata conpleta. et dispergentur et cadent sicut uasa pretiosa, ut confracta non ualeant instaurari et, quanto ante fuere pretiosa, tanto maius eorum in confractione sit damnum; siue quasi arietes electi, ut pinguis hostia sit deuorare cupientium.

peribit, inquit, fuga a pastoribus, quando non egerint paenitentiam. denique dicitur ad Phariseos: genimina uiperarum, quis ostendit uobis fugere ab ira uentura? et in Psalmis legimus: periit fuga a me. et saluatio, inquit, ab optimatibus gregis siue arietibus; ard κοινού subauditur peribit\'.

Uox clamoris pastorum et ululatus optimatium gregis — siue iubilum arietum — , quia uastauit dominus pascua eorum. et conticuerunt arua — siue speciosa — pacis a facie irae furoris domini. Et hic notandum, quod apud LXX \'iubilum\' pro \'ululatu\' positum sit.

inter pastores autem et arietes ista diuersitas est, quod pastores putentur in ecclesia, qui praesunt gregi cum sapientia et eruditione atque doctrina, arietes uero, qui principes quidem uidentur in populo, sed nihil habent in se doctrinae atque sapientiae et per nimiam simplicitatem propemodum stultitiae uicini sunt.

quando autem habuerimus pacem et non intellexerimus uel bona uel speciosa pacis, sed luxuriae nos et otio et uoluptatibus dederimus, tunc conquiescent siue conticiscent bona pacis et auferentur a nobis propter iram furoris domini et implebitur illud, quod scriptum est: cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, quo ueniente omnia conticiscent.

Dereliquit quasi leo umbraculum — siue cubile — suum — et, ut uerius est, tabernaculum; hoc enim \'soccho\' Hebraicum sonat —, quia facta est terra eorum in desolationem — uel inuia — a facie irae columbae — siue a facie gladii magni — et a facie irae furoris domini.

Dominus, de quo supra dixerat: de excelso rugiet et de habitaculo sancto suo dabit uocem suam: rugiens rugiet super decorem suum, ipse derelinquet tabernaculum suum. de quo scriptum est: factus est in pace — siue in Salem — locus eius et habi-

tatio eius in Sion, ipse deseret sedem suam et conplebit, quod per hunc eundem prophetam locutus est: dimisi domum meam, dereliqui hereditatem meam.

reliquit autem quasi leo cubile suum, ut omnes bestiae uastandi terram eius habeant potestatem. leone enim custode et praeside nullus ad eandem audet accedere. facta est, inquit, terra eorum — hau dubium quin uel populi Iudaeorum uel certe uniuersarum gentium — in desolationem et in inuium a facie irae columbae.

non mirabitur \'columbam\' domini intellegi Nabuchodonosor. qui supra eum uocari \'seruum\' domini legerit — pro quo LXX transtulerunt \'gladium magnum\' —, licet \'columbam\' et in persona Hierusalem possimus accipere, quod irascatur et tristis sit se leonis sui perdidisse custodiam et terram suam uenisse in desolationem.

In principio regis Ioiacim, filii Iosiae, regis Iuda da, factum est uerbum istud a domino dicens: haec dicit dominus: sta in atrio domus domini et loqueris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus ueniunt, ut adorent in domo domini, uniuersossermones, quos ego mandaui tibi, ut loquaris ad eos; noli subtrahere uerbum! si forte audiant et conuertantur unusquisque a uia sua mala, et paeniteat me mali — siue quiescam a malo —. quod cogito facereeis propter malitias studiorum eorum.

Haec prophetia superior est priore, licet sub eodem rege sit facta. illa enim facta est in anno quarto Ioiacim, filii Iosiae regis Iuda, haec autem in principio eiusdem regis scriptura dicente: in principio regis Ioiacim, filii Iosiae, regis Iuda, factum.est uerbum istud a domino dicens. non igitur, ut saepe iam diximus, in prophetis historiae ordo texendus est, cum in praesentiarum sub eodem rege priora postea et posteriora ante dicantur.

qui autem uerbum dicturus est domini, debet stare cum Mosi et audire cum psalmista: qui statis in domo domini, in atriis domus dei nostri. et praecipitur illi, ut loquatur ad omnes ciuitates Iuda, licet \'ciuitates\' LXX non transtulerint, ne indecorum forte uideretur in atrio domus domini loqui ad urbes, quae coram non erant; sed quando ad populos et ad ciues loquitur, ipsis ciuitatibus loquitur. pulchre autem stat in atrio atque uestibulo templi domini, ut per occasionem orationis domin et adorandi eum sermones prophetae audire cogantur.

\'nolii, inquit, \'subtrahere uerbum; licet triste sit, licet aduersum te audientium rabies concitetur, tamen dicito, quod tibi impe ratum est, non formidans persecutiones eorum, qui aduersum te concitandi sunt, sed domini iubentis imperium!

\' forsitan inquit, audiant et conuertantur. uerbum ambiguum \'forsitan\' maiestati domini non potest conuenire, sed nostro loquitur affectu. ut liberum homini seruetur arbitrium, ne ex praescientia eius quasi necessitate uel facere quid uel non

facere cogatur; non enim ex eo, quod deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, deus nouit quasi praescius futurorum.

et tamen sciendum iuxta hunc eundem Hieremiam, et si mala praedixerit dominus et egerit populus paenitentiam, quod et ipse acturus sit paenitentiam super his, quae facere comminatus est; et si prospera pollicitus fuerit et egerit populus neglegenter, mutet deus sententiam et pro bonis mala inferat. tale quid et illud in euangelio est: mittam filium meum, forsitan uerebuntur eum; quod utique ex persona dei omnipotentis dicitur.

denique et in praesenti ait: \'si forte audiant et conuertantur unusquisque a uia sua mala, ut. cum illi conuersi fuerint, et me meae sententiae paeniteat et non faciam, quod eis facere cogito. cogito autem facere propter malitias studiorum illorum; quae si fuerint immutatae, et mea sententia commutabitur.\' legamus historiam lonae et Nineue.

Et dices ad eos: haec dicit dominus: si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi uobis, ut audiatis sermones seruorum meorum, prophetarum, quos ego misi ad uos de nocte consurgens et dirigens et non audistis, dabo domum istam sicut Silo et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae.

In nostra est ergo positum potestate uel facere quid uel non facere, ita dumtaxat, ut, quicquid boni operis uolumus, appetimus, explemus, ad dei gratiam referamus, qui iuxta apostolum dedit nobis et uelle et perficere. sin autem sufficit semel ambulare in lege. quae nobis data est per Mosen, ut stulta heresis suspicatur, quomodo addidit: ut audiatis sermones seruorum meorum, prophetarum? qui utique post legem missi sunt et non semel, sed frequenter, nec otiose et a securo, sed semper et a sollicito.

\'misi,\' inquit, \'ad uos seruos meos cotidie et de nocte consurgens; quos si audire nolueritis. dabo domum istam\' — hoc est templum dei — \'sicut Silo\', ubi fuit tabernaculum. cumque templum destructum fuerit, consequenter et ciuitas erit in maledictionem cunctis gentibus terrae.

sicut autem exstructo templo in area Ornae et in monte \'Moria\', hoc est \'uisionis\', in quo Abraham Isaac filium optulisse narratur, cessauit religio Silom nec postea ibi sunt celebrata sacrificia, sic exstructa ecclesia et spiritalibus in ea uictimis immolatis cessauerunt legis cerimoniae et data est nrbs Iudaeorum in maledictionem cunctis gentibus terrae, de qua nos dominus liberauit dicente apostolo: Christus redemit nos de maledictione legis. factus pro nobis mal maledictio.

Et audierunt sacerdotes et prophetae — siue pseudoprophetae — et omnis populus Hieremiam loquentem uerba haec in domo domini. cumque conplesset Hieremias loquens omnia, quae praeceperat ei dominus, ut loqueretur ad uniuersum populum, apprehenderunt eum sacerdotes et prophetae — siue pseudoprophetae — et omnis

populus dicens: morte moriatur, quia prophetauit in nomine domini dicens: sicut Silo erit domus haec et urbs ista desolabitur eo, quod non sit habitator.

Sacerdotes et prophetae, quos \'pseudoprophetas\' LXX manifestius transtulerunt, irascuntur Hieremiae, quod uera praedicat et subuerso templo et ciuitate deserta sit peritura religio et lucra ex religione uenientia; idcirco apprehendunt eum et consentiente sibi populo morti destinant, quare dixerit in nomine domini: sicut Silo erit domus haec et urbs desolabitur eo, quod non sit habitator.

si quando igitur propter mandata domini et fidei ueritatem uel sacerdotes nobis uel pseudoprophetae uel deceptus populus irascitur, non magnopere curemus. sed exsequamur sententiam dei nequaquam praesentia mala, sed futura bona animo cogitantes.

Et congregatus est omnis populus aduer sum Hieremiam in domum domini. et audierunt principes Iuda uerba haec et ascenderunt de domo regis in domum domini et sederunt in introitu portae domini nouae.

Hieremias in templo uerba domini prophetabat et dixerat: dabo domum istam sicut Silo et urbem hanc in maledictionem cunctis gentibus terrae statimque a sacerdotibus et prophetis et populo seditione commota omne uulgus aduersum prophetam congregatur in templum, ubi erat propheta et sacerdotum ac prophetarum uulgique manibus tenebatur.

quod cum audissent principes ciuitatis, qui in domo regia uersabantur, transierunt siue ascenderunt de domo regis in domum domini. notandumque, quod ire ad domum domini semper ascensus sit. sederuntque in introitu portae domini nouae. principum enim erat officii sedere in porta domus domini et ibi negotii et seditionis cognoscere ueritatem. \'noua\' autem porta dicitur, quia, qui sedebant in ea et iudicio praeerant, sacerdotum et pseudoprophetarum calumniae resistebant.

Et locuti sunt sacerdotes et prophetae ad principes et ad omnem populum dicentes: iudicium mortis est uiro huic, quia prophetauit aduersum ciuitate m istam, sicut audistis auribus uestris.

Sedentibus urbis principibus in porta templi et in porta noua, qui de regis palatio ad templum cucurrerant, ut seditio populi sedaretur, et contione populi congregata accusant sacerdotes et pseudoprophetae perieratque propheta, quantum fuit in sacerdotibus et prophetis. si accusatores ipsi habuissent iudicii potestatem. ex quo intellegimus crudeliores fuisse in prophetam per inuidiam sanctitatis, qui religioni uidebantur dediti quam qui necessitatibus publicis praeerant.

Et ait Hieremias ad omnes principes et ad uniuer sum populum dicens: dominus m misit m e. ut prophetarem ad domum — siue super domum — istam et ad ciuitatem — sine super ciuitatem — hanc omnia uerba, quae audistis. nunc ergo bonas facite uiasuestras et st studia uestra et audite uocem domini dei uestri, et paenitebit

nitebit dominum mali. quod locutus est aduersum uos — siue et quiescet domi inus a mali, quae locutus est contra uos —.

ego autem ecce in manibus uestris sum; facite mihi, ut bonum et rectum est in oculis uestris — siue ut expedit uobis — ! uer umtamen scitote et cognoscite, quod, si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra uosmet ipsos et contra ciuitatem istam et habitatores eius; in ueritate enim misit me dominus a d uos, u t loquerer in auribus uestris omnia uerba haec.

Cum praesente populo sederent in porta principes ciuitatis et accusarent sacerdotes et prophetae Hieremiam prophetam et mortis crimen intenderent, Hieremias ad principes loquitur et ad uniuersum populum, quos sacerdotum et pseudoprophetarum factio concitauerat, prudenter pariter et humiliter atque constanter.

prudenter, quod a domino missum esse se diceret, ut contra templum et ciuitatem loqueretur daretque consilium, quod, si uellent eius audire consilium et agere paenitentiam, dominus quoque suam sententiam commutaret. humiliter autem in eo, quod ait: ecce in manibus uestris sum; facite mihi, ut bonum et rectum est in oculis uestris! porro constanter: in ueritate misit me dominus ad uos, ut loquerer in auribus uestris omnia uerba haec.

aliisque sermonibus loquitur: \'si irascimmi, cur contra templum et urbem domini sim locutus, et curae nobis est salus urbis et templi, cur augetis peccata peccatis et sanguinis mei tam urbem quam habitatores eius reos facitis?

\' si quando igitur et nobis pro necessitatis angustiis humilitate opus est, sic eam assumamus, ne ueritatem et constantiam deseramus; aliud est enim superbe contumeliam facere iudicanti, quod signum stultitiae est, aliud sic inpendens uitare discrimen. ut de ueritate nil subtrahas.

Et dixerunt principes et omnis populus ad sacerdotes et prophetas: non est uiro huic iudici-um mortis, quia in nomine domini dei nostri locutus est ad nos.

Populus, qui prius a sacerdotibus et pseudoprophetis fuerat supplantatus, iuogitur principibus ciuitatis et pro Hieremia loquitur, quod nequaquam reus mortis sit, sed in nomine domini et ex ore illius prophetarit; cito enim uulgus indoctum accepta ratione mutat sententiam. dolor autem accusantium, praecipue sacerdotum et pseudoprophetarum, non potest immutari; et ideo illis accusantibus et in accusatione perseuerantibus populus commutatur, quod spem eis dederat indulgentiae domini, si bonas facerent uias suas et audirent uocem domini dei sui, ut et dominus suam sententiam flecteret.

Surrexeruntque uiri de senioribus terrae et dixerunt ad omnem coetum populi loquentes: Micheas de Morasthi fuit propheta in diebus Exechiae, regis Iuda, et ait

ad omnem populum Iudae dicens: haec dicit dominus exercituum : Sion quasi ager arabitur et Hierusalem in aceruum lapidum erit et mons domus in excelsa siluarum.

numquid morte condemnauit eum Exechias, rex Iudae, et omnis Iuda? numquid non timuerunt dominum et deprecati sunt faciem domini et paenituit dominum mali, quod locutus erat aduersum eos? itaque nos facimus malum grande contra animas nostras.

Principes ciuitatis et populus intellegunt iudicii ueritatem; senes autem, quorum proprie erat nosse uetera, replicant historiam et prophetiam Micheae de Morasthi, qui prophetauit sub rege Ezechia, conparant prophetiae Hieremiae. pro qua ei mortis crimen intenditur, ostenduntque illum dixisse 25 grauiora et tamen a iusto rege Ezechia nihil esse perpessum, sed conuersos ad paenitentiam domini in bonam partem uertisse sententiam.

Micheas enim dixit: Sion quasi agerarabitur et Hierusalem in aceruum lapidum erit et mons domus in excelsa siluarum: porro Hieremias: dabo. inquit, domum istam sicut Silo et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae.

dantque consilium putantes nequaquam futurum, quod Micheas praedixerat, quia multo tempore non sit factum propter populi paenitentiam. et hoc quoque, quod Hieremias locutus est, nequaquam fore, si iuxta consilium eius bonas faciant uias suas et studia sua et audiant uocem domini dei sui, ut dominus non inferat malum, quod eis fuerat comminatus.

simulque frangunt accusatorum rabiem et se miscent cum eis dicentes: itaque nos facimus malum grande contra animas nostras, non quo facere debeant, sed quia, si fecerint, nequaquam noceant accusato, sed animabus suis, quas mutatione sententiae potuerint liberare.

Fuit quoque uir prophetans in nomine domini, Urias, filius Semei de Cariathiarim, et prophetauit aduersum ciuitatem istam et aduersum terram hanc iuxta uniuersa uerba Hieremiae. et audiuit rex Ioiacim et omnes potentes et principes eius uerba haec et quaesiuit rex interficere eum; et audiuit Urias et timuit fugitque et ingressus est Aegyptum.

quodque sequitur: et misit rex Ioiacim uiros in Aegyptum, Elnathan, filium Achobor, et uiros cum eo in Aegyptum, in LXX non habetur. dein iungitur: et eduxerunt Uriam de Aegypto et adduxerunt eum ad regem Ioiacim; et percussit eum gladio et proiecit cadauer eius in sepulchris uulgi ignobilis lis. uerumtamen manus Achicam, filii Saphan, erat cum Hieremia, ut non traderetur in manu populi et interficeret eum.

Quaeritur, cur, cum Urias, filius Semei de oppido Cariathiarim, eadem quae Hieremias propbetarit, timore perterritus fugerit Aegyptum et inde retractus occisus sit, Hieremias potuerit euadere, qui certe non fugerat, sed audacter in priore sen-

tentia perseuerans liberatus sit tam uulgi principumque iudicio quam consilio seniorum aduersum accusatores, sacerdotes et pseudoprophetas.

ad quod breuiter respondendum nequaquam dei sciri posse iudicium, dum eadem causa eademque sententia alius punitur et alius liberatur; nisi forte hoc respondere possimus, quod Urias in condemnationem et accusatorum et populi trucidatus sit. Hieremias autem reseruatus iudicio dei, ut reliquiis infelicis populi praedicaret et eos retraheret ad paenitudinem. quod quidem et in apostolorum Actibus legimus Iacobum apostolum statim Herodis pertulisse sententiam et martyrio coronatum. Petrum autem et ceteros apostolos doctrinae domini reseruatos.

et animaduertenda constantia prophetalis, quod ne de Aegypto quem retractus Urias mutauerit sententiam, sed uidens sibi intentari mortem nihilominus sit locutus, quae praeceperat dominus. quodque timuit et fugit et ingressus est Aegyptum. non infidelitatis: sed prudentiae indicium est, ne frustra nos offeramus periculis. alioquin et dominum saluatorem de manibus persequentium lapsum legimus et praecipientem apostolis: cum uos persecuti fuerint in hac ciuitate, fugite ad aliam!

quaeritur quoque, quomodo Ioiaeim, rex Iuda, parui imperii et debilitati et iam iamque perituri, mittendi in Aegyptum habuerit potestatem et inde Uriam educere. quod facile soluitur, si consideremus eum a rege Aegypti Nechao principem constitutum. tutum et hanc prophetiam factam esse in principio regni eius.

quamquam autem Hieremias domini adiutorio liberatus sit, tamen et illi reputatur in mercedem, per quem prophetam suum dominus liberauit, Achicam uidelicet, filio Saphan, quod in posterioribus lecturi sumus, quando de cisterna luti Abdamelech spadonis consilio atque praesidio Hieremias de mortis periculo liberatur.

In principio regni Ioiacim, filii Iosiae. regis Iuda, factum est uerbum hoc ad Hieremiam n domino dicens. Hoc in editione LXX non habetur et multi putant sequentis capituli esse principium, quod nequaquam ita est, sed iungendum superiori, ut, quicquid dictum refertur et factum, in principio regni Ioiacim factum esse credamus; unde et mittendi in Aegyptum quasi ad amicum regem habuit potestatem.

uidentur autem mihi LAA tituium istum hac ratione siluisse, ne secundo dicere uiderentur; iam enim in principio posuerant: in principio regis Ioiacim, filii Iosiae, regis Iuda. factum est uerbum istud a domino dicens.

Haec dicit dominus ad me: fac tibi uincu-la et catenas — siue ϰλοιούς, qui Hebraice appellantur ‘mutoth’ et sermone uulgari \’boias\’ uocant — ponesque eas in collo tuo et mittes ad regam Edom et ad regem Moab et ad regem filiorum Ammon et ad regem tyri et ad regem Sidonis per manum nuntiorum, qui uenerunt Hierusalem ad Sedeciam, regem Iuda. et praecipies eis, ut ad dominos suos loquantur: haec dicit dominus exercituum deus Israhel: haec dicetis ad dominos uestros.

Praeterita uisio in principio facta est ad prophetam regni Ioiacim, filii Iosiae, regis Iuda, haec autem sub Sedecia, qui extremus regnauit in Hierusalem et sub quo urbs capta est atque subuersa.

praecipiturque Hieremiae, ut catenas siue furcas ligneas, quae, ut diximus, Hebraice appellantur ‘mutoth’, inponat collo suo et mittat eas ad reges Edom, Moab, filiorum Ammon, Tyri, Sidonis per legatos, qui uenerant ad Sedeciam. et praecipiat suis dominis nuntiare, quod regi Nabuchodonosor seruire debeant et audire. quae sequens prophetae sermo prosequitur. ac ne forsitan legati et reges istarum gentium responderent: cur hoc tuo populo non praecipis?\’, Sedeciae quoque regi similia loquitur et sacerdotibus ac prophetis.

hunc locum allegoricus semper interpres et historiae fugiens ueritatem interpretatur de caelesti Hierusalem, quod debeant habitatores eius sponte assumere corpora et descendere in ‘Babylonem’, id est \’confusionem\’ mundi istius, qui in maligno positus est, et seruire regi Babylonio, hau dubium quin diabolo. quodsi * hoc facere noluerint, nequaquam eos grauia corpora portaturos. sed perituros gladio et fame et peste et nequaquam homines futuros, sed daemones.

hoc ille dixerit, ne defensores eius nobis calumniam faciant. ceterum nos simplicem et ueram sequamur historiam, ne quibusdam nubibus atque praestigiis inuoluamur.

Ego feci terram et hominem et iumenta, quae sunt super faciem terrae, in fortitudine meamagna et in bracchio meo extento et dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. Licet ἀνθρωποπαθῶς haec scriptura loquatur.

quomodo nos homines loqui possumus et intellegere, tamen \’fortitudo\’ dei et \’bracchium\’ eius ille est. de quo et apostolus loquitur: \’Christus dei uirtus et dei sapientia\’, et Isaias: domine, quis credidit auditui nostro et bracchium domini cui reuelatum est? scribit et Iohannes euangelista: omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Dauid quoque in suo carmine loquitur: uerbo domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis uirtus eorum. quod autem ait: dedi eam ei, qui placuit in oculis meis, hoc significat, quod omnia humano generi per dei gratiam sint tributa. ego, inquit, feci terram et hominem et iumenta. ordo contrarius; in Genesi enim primitus fiunt animantia et extremus homo, sed hic prius hominem nominat et postea, quae subiecta sunt homini.

Nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, serui mei: insuper et bestias agri dedi ei, ut seruiant illi. et seruient ei omnes gentes et filio eius et filio filii eius.

Cuius infelicitatis est Israhel, quando conparatione eius Nabuchodonosor ‘seruus dei’ appellatur! scriptum est in euangelio: mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognouit; in propria uenit etsui eum non receperunt. recte itaque conditor

creaturam suam tradit, cui uoluerit. denique et diabolus, in cuius typum praecessit Nabuchodonosor, confitetur: haec omnia mihi tradita sunt.

quod autem intulit: insuper et bestias agri dedi ei, ut seruiant illi, uel simpliciter omne genus animantium intellegere debemus — cum homine enim et ea traduntur, quae ei subdita sunt — aut certe ‘bestias’ feras gentes accipiamus, quod etiam illae seruiant. quae prius seruire non nouerant. ‘filium’ autem eius et ‘filium filii’ — iuxta Hebraicum — Baltasar uocat et Euilmarodach, de quibus scribit Danihel.

Donec ueniat tempus terrae eius et ipsius. Pulchre, ne perpetuum Nabuchodonosor putaretur imperium, et ipsum dicit a Medis Persisque capiendum: hoc est enim quod significat: donec ueniat tempus terrae eius et ipsius. sed nec hoc habetur in LXX.

Et seruient ei gentes multae et reges magni. Non dixit \’omnes\’ — hoc enim proprie Christi debetur imperio —, quamquam iuxta Symmachum non legatur: seruient ei gentes multae et regesmagni, sed: subicienteun; seruituti gentes multae et reges magni, ut ipse quoque seruiat Medis et Persis, cui omnes gentes ante seruierant.

hoc, quod exHebraico posuimus: dedi ei, ut seruiant illi, et seruient ei omnes gentes et filio eius et filio filii eius. donec ueniat tempus terrae eius et ipsius et seruituti eum subiciant gentes multae e t reges magni, in LXX, ut iam diximus, editione non legitur.,:..,

Gens autem et regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor, regi Babylonis, et quicumque non curuauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio et fame et peste uisitabo super gentem illam, ait dominus, donec consumam eos in manu eius.

Non solum dominus peccatrices gentes subicit Nabuchodonosor, sed et apostolus de peccatoribus loquitur: quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare; et in alio loco: tradidi huiuscemodi satanae in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat. potestatibus quoque oboediendum monet non solum propter iram, sed et propter conscientiam, ne condemnemur ab eis.

Uos ergo nolite audire prophetas uestros et diuinos et somniatores et augures et maleficos, qui dicunt uobis: non seruietis regi Babylonis, quia mendacium prophetant uobis, ut longe faciant uos de terra uestra et eiciant uos et pereatis. gens autem, quae subiecerit ceruicem suam sub iugo regis Babylonis et ser uierit ei, dimittam eam in terra sua, dicit dominus, et colet eam et habitabit in ea.

Delirat et iu hoc loco allegoricus interpres et hortatur in caelesti positos Hierusalem, ne audiant prophetas suos atque diuinos, somniatores et augures et maleficos, sed ut potius seruiant Nabuchodonosor et corpus humilitatis assumant, infantiam, uagitus et incunabula paruulorum; si enim hoc fecerint, expleto famulatu et condicione mortalitatis humanae reuersuros eos ad terram suam et

habitaturos in ea et operaturos, quae prius operati sunt. dicitque se suspicari eos, qui dei praecepta contemserint, humanis corporibus praegrauari, futuros daemonas et immundos spiritus et sedem pristinam nequaquam recepturos.

nos autem simpliciter exponamus et prophetas esse in gentibus, qui simulent se diuino spiritu uentura praedicere, et diuinos, de quibus et uulgare prouerbium est: \'aiunt diuinare sapientes\', et somniatores, qui imitantur Ioseph et Danihel, et augures, qui uolatu auium et oscinum uocibus faciendum quid uel non faciendum denuntiant, et maleficos, quos uel ueneficos possumus appellare uel daemonum fasmatibus seruientes, qui Hebraice dicuntur 'chassane'.

omnes isti decipiunt\', inquit, cuos atque supplantant, ne seruiatis regi Babylonis'. multo enim melius est seruitutem sponte suscipere et amicum habere, cui seruias, et genitalem terram coiere quam ui et necessitate seruire captiuos.

Et ad Sedeciam, regem Iuda, locutus sum secundum omnia uerba haec dicens: subicite colla uestra sub iugo regis Babylonis et seruite ei et populo eius, et uiuetis. quare moriemini tu et populus tuus gladio, fame et peste, sicut locutus est dominus ad gentem, quae seruire noluerit regi Babylonis?

nolite audire uerba prophetarum dicentium uobis: nolite seruire regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquuntur uobis, quia non misi eos, ait dominus, et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, ut eiciam uos et pereatis tam uos quam prophetae, qui uaticinantur uobis.

Post uniuersas gentes transit ad Sedeciam, regem Iuda, et isdem. quibus gentibus comminatus est, sermonibus loquitur; neque enim meretur priuilegium gentis Israheliticae, qui ceteris gentibus aut similia aut maiora peccauit. denique quia audire contemsit populus perduellis, gladio, fame et peste consumtus est.

obseruandum autem in scriptura sancta, quod pro \'pseudoprophetis appellet 'prophetas', qui uaticinentur in nomine domini mendaciter. \'hoc autem faciunt, ut ego, inquit, 'eiciam uos et pereatis tam uos quam prophetae, qui uaticinantur uobis'; et eorum igitur, qui decipiuntur, et eorum, q.ui decipiunt, similis interitus est.

hoc, quod de Hebraico posuimus: sub iugum regis Babylonis et seruite ei et populo eius, et uiuetis. quare moriemini tu et populus tuus gladio, fame et peste, sicut locutus est dominus ad gentem, quae seruire noluerit regi Babylonis? nolite audire uerba prophetarum dicentium uobis, in LXX non habetur: et idcirco ammoneo, ut prudens lector intellegat, quantum desit per singula Graecis codicibus et Latinis.

Et ad sacerdotes et ad populum istum locutus sum dicens: haec dicit dominus: nolite audire uerba prophetarum uestrorum, qui prophetant uobis dicentes: ecce uasa domini reuertentur de Babylone nunc cito; mendacium enim prophetant t uobis b is. — hoc, quod posuimus \'nunc cito\', in LXX non habetur et illud, quod

sequitur: — nolite audire eos, sed seruite regi Babylonis, ut uiuatis! quare datur haec ciuitas in solitudine?

Post gentes autem et regem sacerdotibus loquitur et populo, quia iam prophetis supra interitum nuntiauerat dicens: ut eiciam uos et pereatis tam uos quam prophetae, qui uaticinantur uobis. loquitur autem eadem, quae locutus fuerat regi et gentibus, ne audiant uerba prophetarum suorum et dicant uasa templo domini reportanda iam nunc, quae cum Iechonia principibusque et matre eius fuerant asportata, monetque, ut deseruiant regi Babylonis et uiuant et ciuitas sponte subiecta nequaquam tradatur incendio. et in hoc clementia domini leniori poenae tradere, ne sustineant grauiorem.

Et si prophetae sunt et est uerbum domini in eis, occurrant — quodque sequitur et subdituri sumus usque ad finem huius capituli, in LXX non habetur — domino exercituum, ut non ueniant uasa, quae derelicta fuerant in domo domini et in domo regis Iuda et in Hierusalem.

in Babylonem. quia haec dicit dominus exercituum ad columnas et ad mare et ad bases — pro quibus in Hebraico scriptum est (mechonoth\' — et ad reliqua nasorum, quae remanserunt in ciuitate hac, quae non tulit Nabtichodonosor, rex Babylonis, cum transferret Iechoniam. filium Ioiacim, regem Iuda, de Hierusalem in Babylonem et omnes optimates Iuda et Hierusalem.

quia haec dicit dominux exercituum deus Israhel ad uasa, quae derelicta sunt in domo domini et in domo regis Iuda et in Hierusalem: in Babylonem transferentur et ibi erunt usque ad diem uisitationis suae, dicit dominus, et afferri faciam ea et restitui in loco isto.

Haec, ut diximus. in LXX non habentur, sed de Hebraica ueritate translata sunt, pro quo aliud, quod scriptum non erat, posuere dicentes: mihi, quia sic dixit dominus: et reliqua uasa, quae non tulit rex Babylonis, quando transtulit Iechoniam de Hierusalem. in Babylonem intrabunt, dicit dominus sensum magis quam uerba ponentes, forsitan inrationale arbitratiut deus loqueretur columnas et ad mare et ad bases et ad reliqua uasa, quae remanserant in Hierusalem, quasi non legamus et uermi matutino increpuisse dominum et ad mare locutum: tace et ommutesce!

quodque ait: occurrant mihi siue domino exercituum, illud ostendit uerum prophetam posse domino precibus resistere. secundum quod et Moses stetit in percussione contra dominum, ut auerteret iram furoris eius: Samuhel quoque idem fecit. et dominus ad Mosen: dimitte me, ait, percutiam populum istum! quando autem dicit: dimitte me, ostendit se precibus sanctorum posse retineri. \'occurrant\', inquit, \'prophetae et.

quaecumque praedicunt, opere conpleta demonstrent, et tunc ueritate uaticinium conprobabitur\'. columnas autem et mare et bases et reliqua uasorum in Malachim

et in extremo huius prophetae uolumine legimus; et enumerantur, quae uasa translata sint in Babylonem, quando captus est Sedecias et incensa ciuitas templumque subuersum.

Et factum m est in annoillo, in p principio regni Sedeciae, regis Iuda, in anno quarto, in mense quinto dixit ad m e Ananias„ filius Azur, propheta de Gabaon, in domo domini coram sacerdotibus et omni populo dicens: haec dicit dominus exercituum deus Israhel: contriui iugum regis.., Babylonis; adhuc duo anni dierum et ego referri faciam ad locum istum omnia nasa domini:.

Quos Hebraicum \'prophetas\', hoc est \'nebeim\', LXX \'pseudoprophetas\' interpretati sunt, ut manifestiorem facerent intellegentiam. denique et in praesenti loco \'propheta\' dicitur, hoc est \'nebia\', et non \'pseudopropheta\'. fit autem sermo domini sub rege Sedecia, in quarto anno regni eius et in mense quinto — necdum propheta Hiexechiel uaticinante in Babylone ad eos, qui cum Iechonia fuerant transmigrati — habetque fiduciam in templo domini loqui contra prophetam, quia prospera populo pollicetur et libenter audiuntur mendacia, praesertim quae laeta promittunt.

Hieremias dixerat etiam cetera uasa uel templi uel domus regiae et uniuersi populi, quae Nabuchodonosor dimiserat, transferenda Babylonem; hic autem e contrario etiam ea, quae translata fuerant, referenda promittit.

Quae tulit Nabuchodonosor. rex Babylonis, de loco isto et transtulit ea. in Babylonem. Iechoniam ia m, filium Ioiacim, regem Iudae, et omnem transmigrationem Iudae, qui ingressi sunt Babylonem, ego conteram in locum istum, ait dominus; conteram enim iugum regis Babylonis is.

Pro quibus LXX transtulerunt: Iechoniam et transmigrationem Iudae, quia conteram iugum regis Babylonis breuiter Hebraicae ueritatis sensum magis quam uerba ponentes. pollicetur autem Ananias \'prophetes\' — ut tunc populo uidebatur — non solum uasa, sed et regem Iechoniam reducendum esse Hierusalem et iugum regis Babylonii conterendum, hoc est destruendum eius imperium. et hoc necdum conpleto futurum biennio, ut gaudii magnitudinem uicinum tempus repromissionis augeret.

Et dixit Hieremias propheta ad Ananiam prophetam in oculis sacerdotum et in oculis omnis populi, qui stabat in domo domini, et ait Hieremias propheta: amen, sic faciat dominus; suscitet dominus uerba tua, quae prophetasti, ut referantur uasa de domo dom ini et omnis transmigratio Babylonis ad locum istum!

Optat fieri, quod pseudopropheta mentitur — hoc enim significat \'amen\', quo uerbo saepe dominus abutitur in euangelio: amen, amen dico uobis —, et cupit pro rerum prosperitate magis illum quam se uera dicere. unde et alius propheta testatur dicens: utinam non essem uir habens spiritum et mendacium potius lo-

querer! e contrario Ionas contristatur, quare mentitus sit, et arguitur a domino utilius prophetae esse mendacium quam tantae ruinam multitudinis. ac ne uideretur pseudoprophetae conprobare uaticinium, sub aliorum exemplo absque iniuria mentientis adicit ueritatem:

Uerumtamen audi uerbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis et in auribus uniuersi populi: prophetae, qui fuerunt ante me et te ab initio, et prophetauerunt super terras multas et super regna magna de proelio et de afflictione et de fame ; propheta, qui uaticinatus est pa ce m, cum uenerit uerbum eius, scietur propheta, quem miserit dominus in ueritate.

Poterat Hieremias Ananiae dicere: \'falsum loqueris, decipis populum, non es propheta. sed pseudopropheta\'. quod si dixisset, poterat et pseudopropheta in Hieremiam eadem retorquere; ergo non facit iniuriam et quasi ad \'prophetam\' loquitur.

\'non solum\', inquit, cego sum propheta et tu, sed fuerunt ante me et te multi alii, quorum fuit Isaias, Osee, Iohel et Amos et ceteri. prophetauerunt\', inquit, \'contra terras multas et regna non parua, sed magna bellum illis et aduersa et rerum omnium penuriam nuntiantes: et e contrario fuerunt alii, qui pacem pollicerentur et prospera. utrorumque sententia non adulatione mendacii, sed rerum

exitu conprobata est\', sub aliorum igitur exemplo de se loquitur et Anania, quod, cum rerum finis aduenerit, tunc prophetarum ueritas ostendatur. hoc idem et dominus locutus est per Mosen, quod propheta uaticinii fine monstretur. et hoc animaduertendum, quod non minaciter, non truculente, sed fiducia ueritatis increpet mentientem et differat in futurum, ut, qui audiunt. rerum exitum praestolentur.

Et tulit Ananias propheta catenam — uel furcam, quae Hebraice dicitur \'muthoth\', — de collo Hieremiae prophetae et confregit eam. et ait Ananias in conspectu omnis populi dicens: haec dicit dominus: sic confringam iugum Nabuchodonosor; regis Babylonis, duobus annis dierum de collo .\',:_ omnium gentium. et abiit Hieremias in uiam suam.

\'Duos annos\' non transtulere LXX, \'prophetam\' quoque non dixere Ananiam, ne scilicet prophetam uiderentur dicere, qui propheta non erat, quasi non multa in scripturis sanctis dicantur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur. et non iuxta quod rei ueritas continebat; denique et Ioseph in euangelio pater domini uocatur et ipsa Maria. quae sciebat se de sancto spiritu concepisse et responderat angelo: quomodo erit istud. quia uirum non cognoui?, loquitur ad filium: fili, quid fecisti nobis sic? ecce ego et pater tuus dolentes quaerebamus te.

simulque consideranda prudentia Hieremiae et humilitas atque patientia. pseudopropheta rebus facit iniuriam et arreptam furcam de ceruice eius conterit — quod utique in ferrea facere non poterat —, iste tacet doloremque dissimulat; necdum

enim ei a domino, quid loqueretur, fuerat reuelatum, ut tacite sancta scriptura demonstret nequaquam prophetas suo tantum arbitrio loqui. sed et domini uoluntate, maxime de futuris, quorum solius dei notitia est.

abiit, inquit, et recessit in uiam suam quasi uictus et illud implens propheticum: factus sum quasi homo non audiens nec habens in ore suo increpationes.

Et factum est uerbum domini ni ad\' Hieremiam, postquam confregit Ananias propheta catenam — uel furcam — de collo Hieremiae prophetae, dicens: uade et dices Ananiae: haec dicit dominus: cate- nam - uel furcam - ligneam contriuisti et facies — siue faciam — pro eis furcas — siue catenas — ferreas.

quia haec dicit dominus exercituum cleus Israhel: iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut seruiant Nabuchodonosor, regi Babylonis. quodque sequitur: et seruient ei; insuper et bestias terrae dedi illi, in LXX non habetur. Et in praesenti loco iuxta LXX Ananias \'propheta\' non scribitur et in consequentibus, ne scilicet, ut prius dixi, \'pseudoprophetam\' appellare uiderentur \'prophetam\'; sed quid ad Hebraicam ueritatem?

postquam abiit Hieremias prophetes m uiam et iniuriam silentio deuorauit, factus est sermo domini ad eum, ut non suis uerbis propheta loqueretur ad pseudoprophetam mendacio gloriantem, sed diceret: haec dicit dominus, quamquam et Ananias confringens furcam ligneam eadem auctoritate in conspectu domini sit locutus: haec dicit dominus; imitatur enim semper mendacium ueritatem.

quodque intulit: furcas ligneas contriuisti et facies — siue fecisti — pro eis catenas ferreas, hoc ostendit, quod minorem rennuens poenam maioris supplicii causa fuerit in populo. delirat et in hoc loco allegoricus interpres furcas

et catenas ligneas aetheria appellans et aeria corpora, daemonum uidelicet et aduersariarum potestatum, furcas autem siue catenas ferreas nostra corpora crassiora, quae neruis et ossibus, carnibus uenisque contexta sint, ut, qui noluerint de caelesti Hierusalem pro qualitate peccati minores subire cruciatus, in catenas nostrorum corporum condemnentur et infantiae uagitus. pannorum uincula sordesque sustineant et seruiant diabolo, regi Babylonis, id est mundi huius, dicente scriptura: mundus in maligno positus est, cum bestiis terrae, quae in brutorum animantium sint corpora religatae.

compulit me tractator indoctus et sectator calumniae Grunnianae aperte ponere aliena uitia, quae prius cum dissimulatione dicebam lectoris prudentiae derelinquens.

Et dixit Hieremias propheta ad Ananiam prophetant: audi, Anania, non misit te dominus et tu confidere fecisti populm istum in mendacio idcirco haec dicit dominus: ecce emittam — sine eiciam — te a facie terrae; hoc anno morieris. quodque sequitur: quia aduersum dominum locutus es. et mortuus est Ananias propheta

in anno illo, mense septimo, in LXX non habetur, pro quo tantum posuerunt: et mortuus est mense septimo.

Et hic in LXX Ananias \'propheta\' non dicitur, cum — secundum Hebraicum — scriptura sancta \'prophetant\' uocet, licet in eo, quod arguit eum Hieremias dicens: audi, Anania, non misit te dominu-s. \'prophetant\' tacuerit; quomodo enim \'prophetant\' poterat appellare, quem missum a domino denegabat? sed historiae ueritas et ordo seruatur, sicut supra diximus, non iuxta id, quod erat. sed iuxta id, quod illo tempore putabatur. \'decepisti/ inquit, \'populum mendacio, ne dei sententiae adquiesceret; unde scias

te hoc anno esse moriturum!\' si, quando morimur, de carceribus corporum liberamur secundum illud testimonium, quod male interpretantur heretici: educ de carcere animam meam, quomodo nunc pseudoprophetae pro supplicio mors inrogatur? sed et hoc notandum, quod Hieremias a pseudopropheta passus iniuriam necdum ad se facto sermone domini silet, postea uero missus a domino audacter arguit mentientem et mortem propinquam quntiat.

quodque in mense \'septimo\' mortuus est. qui semper interpretari solent \'requiem\' sub hoc numero demonstrari, forsitan eum idcirco mense \'septimo\' mortuum mentientur, ut de malis corporis liberaretur iuxta illud. quod scriptum profuerunt: \'mors uiro requies\'. nos autem nouimus corpora credentium templa esse dei, si tamen spiritus sanctus habitet in illis.

Et haec sunt uerba libri, quem misit Hieremias propheta de Hierusalem ad reliquias seniorum transmigrationis et ad sacerdotes et ad prophetas et ad omnem populum, quem transduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem postquam egressus est Iechonias rex et domina — siue regina - et eunuchi et principes Iudae et Hierusalem — siue de Hierusalem siue optimates et arti fices de Hierusalem, in manu Hellasa, filii Safan. et Gamariae, filii Helchiae, quos misit Sedecias, rex Iuda, ad Nabuchodonosor, regem Babylonis, in Babylonem, dicens:

haec dicit dominus exercituum deus Israhel omni transmigrationi, quam transtuli de Hierusalem in Babylonem: aedificate domos et habitate et plantate hortos - sine pomaria — et comedite fructum eorum! accipite uxores et generate filios et filias, date filiis uestris Uxores et filias uestras date uiris et pariant filios et filias et multiplicamini et nolite esse pauci numero! et quaerite pacem ciuitatis — siue terrae —, ad quam transtuli uos, et orate pro ea ad dominum, quia in pace illius erit pax uobis!

Haec epistula, immo libellus Hieremiae prophetae per legatos Sedeciae Hellasa et Gamaria mittitur in Babylonem ad eos, qui cum Iechonia et matre eius translati fuerant a Nabuchodonosor. ut per occasionem legationis regiae suum quoque opus propheta compleret et moneret populum transmigratum, quae sibi a domino fuerant imperata.

pulchreque dixit: egressus est Iechonias rex et domina, eunuchi et principes ludae et ceteri et: haec dicit dominus exercituum deus Israhel omni transmigrationi, quam transtuli de Hierusalem in Babylonem , ut non potentia regis Babylonis, sed domini uoluntate translati esse uideantur. et primo ad senes, deinde ad sacerdotes, tertio ad prophetas, quarto ad omnem populum dei sermo dirigitur, ut secundum ordinem aetatis prophetae quoque ad eos, qui monebantur, litterae peruenirent.

monet autem eos non suis uerbis, sed domini, ut aedificent domos et habitent in eis et plantent hortos siue pomaria et comedant fructum eorum, accipiant uxores et generent filios et filias et multiplicentur in loco transmigrationis et non sint pauci numero quaerantque pacem ciuitatis siue terrae, ad quam eos transtulerit dominus, et orent pro ea ad dominum. causasque reddens ait: \'quia in pace illius terrae erit pax uobis\'.

Hieremiae, quia post breue tempus erat Hierusalem secutura captiuitas, imperatur. ne accipiat uxorem, ne faciat filios. unde et nobis per apostolum dicitur: tempus breuiatum est; superest, ut. qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant. quodsi propter angustiam temporis habentibus usus uxorum tollitur, quanto magis non habentibus, ne accipiant, imperatur!

hoc autem totum praecipit uaticinium prophetale, ne adquiescant pseudoprophetis, qui eis post breue tempus in Hierusalem reditum promittebant, sed ut sciant multo se in Babylone tempore moraturos. ita ut uxores accipere, plantare pomaria hortosque serere, aedificare domos et generare filios debeant. quodque intulit:

quaerite pacem ciuitatis sine terrae et iterum: quia in pace illius erit pax uobis, illud apostolicum conprobatur, in quo iubet: obsecro igitur primo omnium fi eri obsecrationes, orationes. postuationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et cunctis, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam uitam agamus in omni pietate et castitate.

perro secundum mysticos intellectus: postquam de Hierusalem, id est ecclesia, propter nostra peccata eiecti fuerimus et traditi Nabuchodonosor — de quo dicit idem apostolus: \'tradidi huiuscemodi satanae in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat in die domini\' et iterum: quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare —, non debemus esse securi nec torpentes otio salutem penitus desperare, sed primum aedificare domos — non super harenam, sed super petram — et tales domos, quales aedifica uerunt et obsetrices in Exodo, quia timebant dominum;

dein plantare hortos siue pomaria, qualem et dominus plantauit paradisum in Eden et posuit in eo lignum uitae, de quo scriptum est: lignum uitae est his, qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam, beatus; tertio accipere uxores, quarum una est sapientia, de qua scribit Salomon: ama illam, et seruabit te; circumda illam, et exaltabit te, et in alio loco: hanc exquisiui sponsam accipere mihi et amator factus

sum decoris eius. nec sufficit nobis una coniux, sapientia, nisi habeamus et reliqua: fortitudinem, temperantiam atque iustitiam, ut plures ex eis generemus filios.

filias quoque nostras demus uiris, ut et fidei ueritas, quae interpretatur in filiis, bonis operibus copuletur, quae referuntur ad filias, et opera bona iungantur fidei sanitati. talesque filios generantes et filias multiplicemur numero, ut destruentes ea. quae paruuli sunt, et in perfectum crescentes uirum audire mereamur: scribo uobis, patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est, et cum apostolo 15 dicamus liberis nostris: in Christo enim Iesu per euangelium ego uos genui.

quaeramus quoque pacem ecclesiae ciuitati et terrae nostrae, ut ad eam redire mereamur, de qua domini iudicio translati sumus, ut habitaremus in \'confusionis\' errore; si enim illa susceperit nos, habebimus pacem. simulque consideranda clementia domini; orare praecipit pro inimicis nostris et bene facere his, qui persequuntur nos, ut non simus nostra tantum salute contenti, sed inimicorum quoque quaeramus salutem.

Haec enim dicit dominus exercituum deus Israhel: non uos seducant prophetae uestri, qui sunt t in me dio uestrum, et diuini uestri et neattendatis ad somnia uestra, quae uos somniatis, quia falsa isti prophetant uobis in nomine meo et non misi eos, dicit dominus. Prophetas, immo pseudoprophetas.

et diuinos et somniatores fuisse in Babylone inter eos, quos Nabuchodonosor cum Iechonia et matre eius abduxerat, Hiezechiel propheta testatur scribens contra eos, quibus Hieremias quoque praecipit non credendum. necdum autem eo tempore, quo haec epistula dirigebatur, Hiezechiel in Babylone coeperat prophetare; hic enim sermo in principio Sedeciae regis mittitur. Hiezechiel autem quinto anno transmigrationis Iechoniae exorsus est prophetare, qui idem annus regni Sedeciae erat.

porro secundum tropologiam pseudoprophetas eos debemus accipere. qui aliter scripturarum uerba accipiunt, quam sanctus spiritus sonat, et diuinos eos, qui coniecturam mentis suae et incerta futurorum quasi uera pronuntiant absque diuinorum auctoritate uerborum; somniatores quoque, qui non audiunt illud scriptum: ne dederis somnum oculis tuis neque dormitationem palpebris tuis, de quibus et ludas apostolus loquitur: similiter et hi somniantes carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, quorum mens nequaquam uigilat, sed arrogantiae et erroris sopore depressa noctis horrore circumdatur, quibus loquitur et apostolus Paulus: eleuare, qui dormis, et exsurge a mortuis, et inluminabit te Christus.

Quia haec dicit dominus: cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, uisitabo uos et suscitabo super uos uerbum meum bonum, ut reducam uos ad locum istum. ego enim scio cogitationes, quas cogito super uos, ait dominus, cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem uobis finem et patientiam — siue spem —. et inuo-

cabitis me et ibitis — siue iuxta Symmachum inuenietis — et orabitis me, et exaudiam uos. quaeretis me et inuenietis, cum quaesieritis me in toto corde uestro, e t inueniar a uobis siue apparebo uobis.

\'Nolite\', inquit, \'credere pseudoprophetis, diuinis et somniatoribus uestris, qui uobis uicinum in Hierusalem reditum pollicentur! nisi enim septuaginta anni expleti fuerint — Cyro, rege Persarum, laxante captiuos —, nequaquam in patriam reuertemini; et tunc mea promissa conplebo, ut reducam uos ad locum istum; ego enim scio cogitationes, quas cogito super uos, ait dominus\'. se dicit nosse, quid cogitet, illos autem cum suis prophetis, diuinis et somniatoribus ignorare; futurorum igitur scientia soli deo competit. \'ut dem uobis,\'ait, \'finem -J,.

et patientiam: finem captiuitatis et patientiam laborum praesentium siue spem futurorum. tunc inuocabitis me et ibitis Hierusalem et orabitis, et exaudiam uos\'. certe absque inuocatione et oratione captiuorum poterat implere dominus. quod promiserat, sed hortatur eos ad preces, ut, quod promissum est, mereantur accipere. quaeretis et inuenietis me, cum quaesieritis in toto corde uestro, iuxta illud euangelicum: petite, et accipietis; quaerite. et inuenietis: pulsate, et aperietur uobis.

secundum άναγωγὴν tam diu in saeculi huius \'confusione\' uer samur. quamdiu \'requiem\' septenarii numeri mereamur accipere et accepta paenitentia deus impleat, quod promisit, et reducamur ad locum nostrum, ecclesiam; idcirco enim dominus percutere uisus est, ut sanaret, dabitque nobis finem laboris nostri atque patientiae. et inuocabimus eum et reuertemur in ecclesiam et orabimus, et exaudiemur. quaeremus et inueniemus eum, cum toto corde quaesierimus illum, et tunc apparebit nobis.

Quidam \'septuaginta annos\' iuxta illud interpretatur, quod scriptum est: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; qui cum fuerint expleti, tunc ad dominum reuertamur in toto corde nostro et exaudiamur et finis sit laboris nostri atque patientiae; nunc enim in umbra nos omnia et imagine possidere.

X Et inueniar uobis, ait dominuset reducam captiuitatem uestram et congregabo uos de uniuersis gentibus et de cunctis locis, ad quae expuli uos, dicit dominus, et reuerti uos faciam de loco, ad quem transmigrare uos feci, quia dixistis: suscitauit nobis dominus prophetas in Babylone.

haec enim dicit dominus ad regem, qui sedet super solium Dauid, et ad omnem populum habitatorem urbis huius et ad fratres uestros, qui non sunt egressi uobiscum in transmigrationem; haec dicit dominus exercituum: ecce mittam in eos gladium, famem et pestem et ponam eos quasi ficus malas, quae comedi non possunt eo, quod pessimae sint.

et persequar eos in gladio, in fame et in pestilentia et dabo eos in uexationem uniuersis regnis terrae, in maledictionem et in stuporem et in sibilum et in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego eicio eos eo, quod non audierint uerba mea, dicit dominus, quae misi ad eos per seruos meos, prophetas, de nocte consurgens et mittens; et non audistis. dicit dominus. uos ergo audite uerbum domini, omnis transmigratio, quam emisi de Hieru- salem in Babylonem! * Hucusque in LXX non habetur.

quae asteriscis praenotaui; cetera enim, in quibus uel singuli uersus uel pauca ab eis praetermissa sunt uerba, uictus taedio annotare nolui, ne fastidium legenti facerem. pollicetur autem dominus his, qui erant in transmigratione, quod post septuaginta annos captiuitatis redire eos faciat de uniuersis gentibus et de cunctis locis, ad quae expulerit eos, et captiuitate laxata pristinum statum et patriam recipere.

cet cum ego haec\', inquit, mea sponte facturus sim et certo tempore redditurus uos, frustra decipimini et putatis uos habere prophetas in Babylone, qui uobis falsa promittunt; ita autem sciatis nequaquam uos reditum nunc sperare debere, sed aedificare domos, plantare pomaria, accipere uxores et generare filios et multiplicari numero et tempus exspectare promissum.

audite, quid dominus loquatur ad Sedeciam, qui nunc regnat in Hierusalem, et ad omnes habitatores urbis eius, id est ad fratres uestros, qui noluerunt meae oboedire sententiae et Babylonem migrare uobiscum, quod nequaquam captiuitatem possint effugere, sed gladio et fame et peste moriantur, et ponat eos quasi ficus malas., quas Theodotio (et Aquilae prima editio) interpretatus est \'sudrinas\', secunda \'pessimas\', Symmachus \'nouissimas\'; quae Hebraice appellantur \'suarim\', sed scriptorum uitio pro media syllaba siue littera (alpha\' Graecum \'delta\' inoleuit, ut pro \'suarim\' legatur \'sudrim\'.

quomodo autem cofinus siue calathus, qui habebat ficus bonas, \'primitiuas\' habuisse dicitur, sic alter cofinus, qui habebat ficus malas, habuisse ficus \'nouissimas\'scribitur.

let persequar,\' inquit. \'eos, qui nunc in Hierusalem urbe uersantur, gladio, fame et pestilentia, ut primum obsidione confestim, qui remanere et effugere potuerint. dispergantur in uniuersas terras et exemplo sint omnibus maledictionis, stuporis et sibili et opprobrii, ad quos ego eiciam eos. quia non audierunt uerba mea, dicit dominus, quae per seruos meos locutus sum ad eos de nocte consurgens et mittens, et numquam monere cessaui, ut imitarentur uos, qui nunc in transmigratione securo otio perfruimini, donec promissio domini conpleatur. uos autem, qui meae oboedistis sententiae et regi uos Babylonio tradidistis, audite, quae dicturus sim\\

et in hoc loco delirus interpres somniat ruinam caelestis Hierusalem et ad eos prophetiam dirigi suspicatur, qui in huius mundi Babylonia regione uersantur,

quod bene fecerint in haec corpora sponte descendere et in terra Chaldeorum aedificare domos, plantare pomaria, accipere uxores, filios generare bonisque operibus restitui post septuaginta annos in locum pristinum et in caelestem Hierusalem;

illos autem, qui noluennt propria uoluntate ad terrena descendere, haec passuros, quae dominus Sedeciae et eius populo comminatur, qui noluerunt imitari fratres suos nec uenire in Babylonem, quod mittat in eos gladium et famem et pestem, hoc est rerum omnium paenuriam, et ponat quasi ficos pessimas, quae penitus comedi non possunt, et persequatur eos gladio sempiterno et det in uexationem uniuersis regnis terrae. quo scilicet nequaquam homines, sed daemones fiant, aeriae potestates, et sint apud cunctos angelos, qui praesint singulis prouinciis, in maledictionem et in stuporem et in sibilum et in opprobrium cunctis gentibus.

ethoc eos idcirco passuros, quia uerba prophetarum in caelesti Hierusalem audire noluerint, qui eos hortabantur, ut ad terrena descenderent et corpus humilitatis assumerent et acta paenitudine post uerum sabbatismum locum pristinum possiderent.

haec ille dixerit; quae cum audiunt discipuli eius et Grunnianae familiae stercora, putant se una audire mysteria nosque, qui ista contemnimus, quasi pro brutis habent animantibus et uocant πηλουσιώτας eo, quod in luto istius corporis constituti non possimus sentire caelestia.

Haec dicit dominus exercituum deus Isra- hel ad Ahab, filium Culiae, et ad Sedeciam, filium Maasiae, qui propheta n t uobis in nomine meo mendaciter: ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, et percutiet eos in oculis uestris.

et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iudae, quae est in Babylone, dicentium: ponat te dominus sicut Sedeciam et sicut Ahab, quos frixit rex Babylonis in igne pro eo, quod fecerunt stultitiam — siue iniquitatem — in Israhel et moechati I sunt uxores amicorum — siue ciuium — suorum et locuti sunt uerbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis; ego sum iudex et testis, dicit dominus.

Aiunt Hebraei hos esse presbyteros, qui fecerint stultitiam in Israhel et moechati sunt uxores ciuium suorum, quorum uni loquitur Danihel: inueterate dierum malorum et alteri: semen Chanaam et non Iuda, species decepit te et concupiscentia peruertit cor tuum! sic faciebatis filiabus Israhel et illae metuentes loquebantur uobiscum: sed non filia Iudae sustinuit iniquitatem uestram.

quodque propheta nunc loquitur: et locuti sunt uerbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis, illud significari putant, quod miseras mulierculas, quae - circumferuntur omni uento doctrinae, sic deceperint, quo dicerent eis, quia de

tribu erant Iuda, Christum de suo semine esse generandum; quae inlectae cupidine praebebant corpora sua quasi matres futurae Christi.

sed illud, quod in praesentiarum dicitur: quos frixit rex Babylonis in igne, uidetur Danihelis historiae contraire. ille enim asserit eos ad sententiam Danihelis a populo esse lapidatos; hic uero scriptum est, quod frixerit eos rex Babylonis in igne. unde et a plerisque ac paene omnibus Hebraeis ipsa quasi fabula non recipitur nec legitur in synagogis eorum.

\'qui enim,\' inquit, (fieri poterat, ut captiui lapidandi principes et prophetas suos haberent potestatem?\' magisque hoc esse uerum affirmant, quod scribit Hieremias, conuictos quidem esse presbyteros a Danihele, sed latam in eos sententiam a rege Babylonis, qui in captiuos ut uictor et dominus habebat imperium.

quanti et de nostro grege similes Ahab et Sedeciae prophetant in nomine domini mendacium et faciunt stultitiam in Israhel et moechantur uxores ciuium suorum, qui in eadem ecclesiae sunt urbe generati! quos uerus Nabuchodonosor friget in igne peccati dicente Osee propheta: omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente.

felix, qui tollit iugum ab adulescentla sua et sedet solus, quia amaritudine repletus est, potestque dicere cum Dauid: non sedi in concilio malignantium et cum iniqua gerentibus non introibo!

quodque intulit nunc propheta: ego sum iudex et testis, dicit dominus, hunc habet sensum: \'haec, quae dico de duobus pseudoprophetis, qui loquuntur uerbum in nomine meo mendaciter, quod non mandauerim eis, nequaquam opinione cognoui, sed ipse scio uera esse, quem celare nemo potest nec effugere mei iudicii ueritatem>.

Et ad Semeiam am Nehellamitem item, dices; et quod sequitur: haec dicit dominus exercituum deus Israhel: pro eo; quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui est in Hierusalem, in LXX non habetur; rursumque addidere de suo: non misi te in nomine meo et consequenter iuxta ordinem: et ad Sophoniam, filium Maasiae, sacerdotem et iterum de Hebraeo: e t ad omnes sacerdotes; ac deinde historia texitur :

dominus dedit te sacerdotem pro Ioiadae sacerdote. ut sis dux — siue praeceptor et episcopus — in domo domini super omnem utrum arrepticium et p prophetantem , ut mittas eum in neruum et in carcerem — siue in custodiam et in cataracten, quem Symmachus μοχλόν, Aquila ipsum uerbum Hebraicum posuit \'sinac\'—.

et nunc quare non increpuisti Hieremiam Anathothitenqui prophetat uobis? quia super hoc misit ad nos in Babylonem dicens: longum est; aedificate domos et habi-

tate et plantate hortos et comedite fructum eorum! legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Hieremiae prophetae .

Semeias de loco \'Nehellami\', qui interpretatur \'torrens\', cum rege Iechonia ductus fuerat in Babylonem et prophetabat populo mendaciter eo, quod celeriter essent Hierusalem reuersuri. fuisse autem eum pseudoprophetam sequentia Hieremiae uerba demonstrant: haec dicit dominus ad Semeiam Nehellamitem: pro eo, quod prophetauit uobis Semeias et ego non misi eum.

quia igitur Hieremias ad eos, qui erant in Babylone. litteras miserat dicens: aedificate domos et habitate; plantate hortos et comedite fructum eorum; accipite uxores et generate filios! et post alia iunxerat:non uos inducant prophetae uestri. qui sunt in medio uestri, et diuini uestri! ac deinde: quia falso isti prophetant uobis in nomine meo et non misi eos, dicit dominus, intellegens Semeias sub communi nomine pseudoprophetarum contra se scriptum mittit litteras Hierusalem ad Sophoniam, filium Maasiae, sacerdotem et ad reliquos sacerdotes contra Hieremiam, quare non increpetur a Sophonia sacerdote, cuius officium est discernendi inter prophetas, qui spiritu sancto loquantur, qui contrario, et recludi iubeatur in carcerem, ut mendacii sui poenas luat et populum ultra supplantare desistat.

Ioiadae sacerdos fuit, qui Ioas post interfectionem Gotholiae imperium tradidit et interfecit sacerdotem Bahal. hoc est ergo, quod scribit: <quare non imitaris Ioiadae sacerdotem et interficis Hieremiam pseudoprophetam? dominus enim te pro Ioiadae constituit, ut habeas caram templi et praecipue discernas, qui sancto spiritu loquantur, qui daemonico\' — discretiones autem spirituum dominicae esse gratiae et apostolus memorat —; \'cur\', inquit, \'non increpuisti Hieremiam Anathothiten?\'quod ipsemerebaturquasi ia pseudopropheta, refert in prophetam et praeuenit mendacio ueritatem. unde et prudentiores putantur filii tenebrarum filiis lucis in generatione hac nobisque agentibus patienter et exspectantibus miserorum salutem praeueniunt heretici et nos suo appellant nomine ducentes caeci caecos in foueam.

misit, inquit, ad nos in Babylonem dicens: longe est. hoc est omne, quod dolet, quare aduersum suum mendacium Hieremias scripserit ueritatem longe esse reditum et post septuaginta annos redituros in Hierusalem; unde debere eos aedificare domos, plantare pomaria et comedere fructum eorum, accipere uxores et facere filios, quae praeteritus sermo narrauit. quas litteras cum accepisset Sophonias sacerdos, ad cuius specialiter nomen scriptae erant, legit Hieremiae quodammodo suggillans eum et ipsa increpans lectione, quare auderet in Babylonem talia scribere.

Et factum est uerbum domini ad Hieremiam dicens: mitte ad omnem transmigrationem dicens: haec dicit dominus ad Semeiam Nehellamiten: pro eo, quod prophetauit uobis Semeias et ego non misi eum et fecit nos confidere in mendacio, idcirco haec dicit dominus: ecce ego uisitabo bo super Semeiam Nehellamiten

et super se m e u eius; non erit uir sedens in medio populi huius et non uidebit bonum, quod ego faciam populo meo, ait dominus, quia praeuaricationem locutus est aduersum dominum.

Pseudopropheta Semeias uere (Nehellamites), qui de \'torrente\' alienas et turbatas aquas sumserat, irascitur contra mendacium suum uera scripsisse Hieremiam et ad Sophoniam sacerdotem mittit epistulas, cur ausus sit propheta scribere ueritatem, et cupit eum recludi carcere, ne loquatur. Sophonias quoque prophetam latenter accusat, dum legit epistulam mentientis et accusationem eius habere se iactitat.

quanto magis sceleris rei sunt, qui defendunt pseudoprophetas et mentientes fouent et aliorum male inuenta sua faciunt esse peccata! audiat itaque pseudopropheta, intellegat sacerdos, quid per eum et ipse audire mereatur: haec dicit dominus: ecce ego uisitabo super Semeiam. haec dominus loquitur, non propheta, quod uisitet super Semeiam Nehellamitem non in remedium, sed in supplicium mentientis iuxta illud, quod scriptum est: uisitabo in uirga iniquitates eorum et in flagellis peccata eorum.

nec solum super pseudoprophetam uisitat, sed et super semen eius, omnes discipulos, quos suo errore decepit. non erit, inquit, uir sedens in medio populi huius. deleatur de sanctorum conciliabulo stirps pessima nec sedeat in medio quiescentium, qui cum stantibus stare non potuit nec audiuit illud: si stetisset in substantia mea. cumque dominas perfectionem uirtutum omnium finito septenario tempore promittat, ille non uidebit bonum, quod sibi in praesenti tempore uindicabat.

hoc autem totum fiet, quia praeuaricationem locutus est aduersum dominum, ut diceret iam soluta peccatorum captiuitate reuersuros esse in Hierusalem, quibus apostolus comminatur: iam saturati estis. iam diuites facti estis. sine nobis regnastis; et utinam regnaretis, ut et nos regnaremus uobiscum!

Liber Sextus

Prolixitas uoluminis Hieremiae prophetae uincit nostrum propositum, ut quamuis breuiter, tamen multa dicamus. unde et praesens sextus liber commentariorum in Hieremiam repromissiones mysticas continebit, quas Iudaei putant et nostri iudaizantes in consummatione mundi esse conplendas; necdum enim sub Zorobabel possunt expletas conuincere.

nos autem sequentes auctoritatem apostolorum et euangelistarum, et maxime apostoli Pauli, quicquid populo lsrahel carnaliter repromittitur, in nobis spiritaliter conpletum esse monstramus hodieque impleri nec inter Iudaeos et Christianos ullum aliud esse certamen nisi hoc, ut, cum illi nosque credamus Christum dei filium repromissum, et ea, quae sunt futura sub Christo. a nobis expleta, ab illis explenda dicantur.

qui igitur Christum uenisse iam credimus, necesse est, ut ea. quae sub Christo futura dicuntur, expleta doceamus nosque esse filios Abraham. de quibus scriptum est: potest deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham, ad quem facta est repromissio: et in semine tuo benedicentur omnes gentes. quam benedictionem uas electionis in Christo expletam docens: non dixit, inquit, in seminibus, sed in semine, qui est Christus.

ora igitur, frater Eusebi, dominum legum Christum, ut eodem labore et spiritus gratia, quo aliorum prophetarum, et praecipue Isaiae, repromissiones interpretati sumus, etiam huius prophetae explanare ualeamus, qui, quantum in uerbis simplex uidetur et facilis, tantum in maiestate sensuum profundissimus est.

Hoc uerbum, quod factum est ad Hieremiam a domino, dicens: haec dicit dominus deus Israhel dicens: scribe tibi omnia uerba, quae locutus sum ad te, in libro! ecce enim dies uenient, dicit dominus, et conuertam conuersionem populi mei Israhel et Iuda, ait dominus, et conuertam eos — sine sedere faciam — in terram, quam dedi patribus eorum, et possidebunt eam.

Promittentibus in Babylone pseudoprophetis cito populum, qui cum Iechonia captus fuerat, reuersurum et Anania, filio Azur, in Hierusalem eadem praedicante Hieremias propheta et illud quidem futurum asseruit non intra biennium, ut illi men-

tiebantur, sed finitis septuaginta annis et nunc scribere iubetur in libro et memoriae tradere, quae dominus uentura praenuntiet.

ex quo manifestum est nequaquam uicinum tempus esse uaticinii, sed multa post tempora haec explenda, quando Israhel et Iuda reuersuri sunt in terram suam, et inplendum illud, quod Hiezecihel prophetauit, duas uirgas sibi pariter copulandas et imperaturum Dauid regem, de quo scribit: et seruus meus Dauid rex super eos et pastor unus erit omnium eorum. si quid igitur in illa prophetia diximus.

etiam in praesenti loco intellegendum est, praesertim cum eadem et eo tempore Hiezecihel in Babylone et Hieremias in Hierusalem prophetauerint.

Et haec uerba, quae locutus est dominus ad Israhel et ad Iudam, quoniam haec dicit dominus: uocem terroris — siue timoris — audiuimus; formido et non est pax. interrogate et uidete. si generat masculus! quare ergo uidi omnis uiri manum super lumbos suos quasi parientis et conuersae sunt uniuersae facies in auruginem?

Primum tristia nuntiantur. ut post malorum magnitudinem laeta succedant; gratior quippe est sanitas aegrotatione depulsa et doloris magnitudo in magnitudinem uertitur gaudiorum. quod autem dicit, hoc est: tantus erit timor tantaque formido, ut fugata pace bellis et sanguine omnia conpleantur et uiros quoque, quorum proprium est contra aduersarios dimicare, muliebris terror optineat manusque nequaquam ad arma, sed ad renes tenendos conferant, quasi si mulier pariens ilia lumbosque contineat. unde et cunctorum facies uertentur in auruginem pauorem cordis uultus pallore testantes.

quidam hunc locum secundum tropologiam sic interpretantur, ut ponant illud testimonium: a timore tuo, domine, concepimus et parturiuimus et peperimus; spiritum salutis tuae fecimus super terram, et illud apostolicum, in quo dicit: filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in uobis, huic exemplo conparant; quod manifestum est non ad terrorem, sed ad gaudium pertinere, cum praesens scriptura uastationis Israhel et ruinae tempus significet. -

Uae, quia magna dies illa nec est similis eius tempusque tribulationis est Iacob! et ex ipso saluabitur. Praedicit tempus miseriae, ut inferat tempus gaudii. \'cum\', inquit, \'tanta praecesserint mala, ut dolor uirorum omnium dolori parturientis feminae conparetur, tamen tempus tribulationis Iacob, hoc est populi dei, mutabitur in prospera et ex ipso quoque saluabitur\' — subauditur tempore —, \'de quo sermo processerat\'. (Iacob) autem duodecim tribus intellege, quae nequaquam sub Zorobabel, ut nonnulli falso putant, sed euangelica uocatione saluatae sunt.

Et erit in die illa, ait dominus exercituum, conteram ivgum eius de collo tuo et uincula illius disrumpam et non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruient — siue operabuntur tur — domino deo suo et Dauid, regi suo, quem suscitabo eis.

Iste est Dauid, cuius et euangelium meminit: daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. quomodo enim primus Adam et secundus Adam scribuntur iuxta corporis ueritatem, sic et Dauid dominus atque saluator, quia iuxta carnem ex Dauid totum in eo sancta Maria conferente, quicquid fuit ei stirpe Dauid, et habente originem atque conceptum de spiritu sancto.

quodque ait: conteram iugum eius de collo tuo et uincula illius disrumpam, non dubium, quin sub typo Nabuchodonosor de diabolo sentiendum sit.

Tu ergo ne t timeas, serue meus Iacob, ait dominus, neque paueas, Israhel, quia ecce ego saluum te faciam de terra longinqua et semen tuum de terra captiuitatis eorum et reuertetur Iacob et quiescet et cunctis afluet et non erit, quem formidet, quoniam tecum sum, ait dominus, ut saluem te. faciam enim consummationem in cunctisgentibus, in quibus dispersi te; te autem non faciam in consum- mationem, sed castigabo — siue erudiam — te in iudicio, ut non tibi uidearis innoxius siue et mundans non mundabo te.

Haecπεριϰοπὴ in LXX non habetur et in plerisque codicibus uulgatae editionis sub asteriscis de Theodotione addita est. pollicetur autem sermo diuinus et familiarius uocat \'seruum suum\' Iacob et Israhel, sicut Abraham, Isaac et Iacob uocantur \'serui dei\' — Moses quoque et alii prophetae et apostolus Paulus in principio epistularum suarum hoc titulo gloriatur —, ut et duae et decem tribus, id est duodecim, sciant se de terra longinqua esse saluandas et soluendam captiuitatem reddendamque pacem et omni eos replendos abundantia iuxta illud, quod in psalmo dicitur: fiat pax in uirtute tua et abundantia in turribus tuis!

hoc autem erit, quia praesentia domini perfruentur, quando et gentes aduersariae, quae eos ceperant, disperibunt et isti liberabuntur e gentibus. docetque eos nequaquam poenae, sed eruditioni traditos, ut indicarentur quasi proprii, non perderentur quasi alieni; qui enim non credit, iam iudicatus est, hoc est praeiudicatus in interitum.

quod autem intulit: ut non tibi uidearis innoxius siue iuxta Symmachum: et mundans non mundabo te uel iuxta Aquilam: cum te erudiero per iudicium, nequaquam innocentem faciam, illud significat, quod omnis mundus indigeat misericordia dei et nullus, quamuis sanctus sit, securus pergat ad iudicem; contra nouam ei ueteri heresim, quae putat in isto saeculo et in ista carne mortali, antequam corruptiuum hoc induat incorruptionem et mortale induat inmortalitatem, perfectionem esse in quoquam et omnes simul iustum posse implere uirtutes.

Quia haec dicit dominus: insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. non est, qui iudicet iudicium tuum ad alligandum; curationum utilitas non est tibi. omnes amatores tui obliti sunt tui, te non quaerent; plaga enim inimici percussi te, castigatione crudeli — siue forti—.

propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt — sine multiplicata sunt — peccata tua. quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus; propter multitudinem iniquitatis tuae et propter dura peccata tua feci haec tibi.

Quasi ad speciosam mulierem loquitur. cui supra dixerat: castigabo te in iudicio, ut non tibi uidearis innoxius siue innoxia; et per μεταφορὰν loquitur ad Hierusalem, quod dei iudicio pessime uulnerata sit et nequaquam alio nisi ipso. qui percusserat, possit curante sanari — non est, ait, qui iudicet iudicium tuum — nec altissimo uulneri cutem cicatricis obdacere. (quocumque te conuerteris, utilitas non est tibi, quia offendisti eum, qui uerus et solus est medicus.

omnes amatores tui obliti sunt tui, uel sacerdotes uel principes aut certe angelorum praesidia, quibus, priusquam offenderes dominum, uallabaris. te non quaerent facientes contra apostolum, qui quaerebat credentes et non ea, quae erant credentium; plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli.\' aliter amicus, aliter inimicus percutit;

aliter pater, aliter hostis. ille caedit, ut corrigat, iste percutit, ut occidat; unde et propheta lacrimabiliter dicit: domine, ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me! hoc autem factum est, quia propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt peccata tua.

quodque sequitur: quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuae, in LXX non habetur, uidelicet quia secundo dicitur: propter multitudinem iniquitatis tuae et dura peccata tua et, qui scribebant, a principio additum putauerunt.

et est sensus: *ut inimici te plaga percuterem, ut caederem castigatione crudeli, fecit multitudo iniquitatis tuae et dura peccata tua, quae sanari non poterant nisi mordacissimo puluere et ardente cauterio et ferro acutissimo, quo putridas carnes et insanabiles amputarem. et tamen propter multitudinem iniquitatis tuae et dura peccata tua feci hoc tibi non mea uoluntate, sed medicinae ratione cogente\'.

Propterea omnes, qui comedent te, deuourabuntur et uniuersi hostes tui in captiuitatem ducentur et, qui te uastant, uastabuntur cunctosque praedatores tuos dabo in praedam. obducam enim cicatricem tibi et a uulneribus tuis sanabo te, dicit dominus. quia eiectam — siue dispersam — uocauerunt te, Sion, haec est, quae non habebat requirentem. Et sub Zorobabel haec facta cognoscimus.

quando Assyrios, hoc est Nineuen, uastauere Babylonii atque Chaldaei et rursum Babylonios et Chaldaeos Medi Persaeque ceperunt et Babylon destructa est, tunc Sion coepit habere dominum requirentem et obducta est cicatrix uulneri illius et sanata est a plagis suis, quod plenius atque perfectius conpletur in Christo.

Haec dicit dominus: ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob et tectis — siue captiuitati — eorum miserebor et aedificabitur ciuitas in excelso suo

et templum iuxta ordinem suum fundabitur. et egredietur de eis laus noxque ludentium et multiplicabo eos et non minuentur; quodque sequitur: et glorificabo eos et non attenuabo eos, in LXX non habetur.

e t erunt, inquit, filii eius sicuti a principio et coetus eius coram me permanebit et uisitabo aduersum omnes, qui tribulant eum. et erit dux eius ex eo et princeps de medio eius producetur et applicabo eum et accedet ad me; quis enim iste est, qui applicet cor suum, ut appropinquet ait mihi?, a it dominus; rursumque quod in Hebraico (sequitur, in Graeco) non habetur: et eritis mihi, ait, in populum et ego ero uobis deum.

Quorum typus praecessit in Zorobabel et Ezra, quando reuersus est populus et coepta aedificari ciuitas in excelso suo templique obseruari religio et cetera, quae ipsius Ezrae uolumine continentur; plenius autem atque perfectius in domino saluatore apostolisque conpletum est, quando aedificata est ciuitas in excelso suo — de qua scriptum est: non potest abscondi ciuitas, quae in monte sita est — et templum iuxta ordinem suum ceremoniasque fundatum, ut, quicquid in priore populo fiebat carnaliter, in ecclesia spiritaliter conpleretur.

tunc egressa est laus siue gratiarum actio — hoc enim significat \'thoda\' —. ut omnes apostoli dicerent: gratia. uobis et pax, uoxque ludentium non illo luso, quo manducauit populus et bibit et surrexit, ut luderet. sed eo, quo coram area domini lusit Dauid. et multiplicati sunt et non inminuti, ut totus orbis crederet in deum saluatorem, et glorificati sunt, ut impleretur, quod scriptum est: gloriosa dicta sunt de te, ciuitas dei! fueruntque filii eius, hoc est apostoli, sicut fuerunt a principio Abraham, Isaac et Iacob, principes generis Israhelitici.

tunc uisitauit dominus aduersum omnes, qui tribulauerunt populum dei, aduersarias uidelicet potestates. et fuit dux eius exeo — hau dubium quin dominus et saluator secundum carnem ex genere Israhel — et princeps de medio eius productus est. applicauit eum pater ad se et accessit ad eum, ut diceret filius: ego in patre et pater in me, quia nullus potest sic suum cor applicare domino nec ita ut filius patri esse coniunctus.

quodque dicit iuxta (Hebraicum tantum, sed non iuxta) LXX: et eritis mihi in populum et ego ero uobis in deum, cernimus opere conpletum ex parte in Israhel et ex toto in gentium multitudine.

Ecce turbo domini, furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet non auertet iram indignationis dominus, donec faciat et conpleat cogitationem cordis sui; in nouissimo die- rum intellegetis ea.

Turbo furoris domini et procella ruens atque tempestas requiescet in capite impiorum, uel daemonum uel eorum, qui dei filium blasphemarunt; et non auertet iram indignationis suae, donec faciat et conpleat cogitationem cordis sui et circumde-

tur exercitu Hierusalem et penitus deleatur. quomodo autem artifex non potest intellegi nisi opere conpleto nec medicinae industria nisi, postquam fuerit sanitas consecuta, ita, cum euersio fuerit Hierusalem et prioris populi abiectio, tunc intellegent credentes, quod repulsio Iudaeorum nostrae salutis occasio sit.

In tempore illo, dicit dominus, ero deus uniuersis cognationibus Israhel — siue generi Israhel — et ipsi erunt mihi in populum. Nisi cogitatio domini fuerit impleta et furor eius requieuerit super impiorum caput, uniuersitatis dominus cognationibus Israhel deus esse non poterit; hoc autem dicit reliquiis, quae saluae factae sunt.

quodsi opponitur nobis id, quod dictum est: ero deus generi Israhel siue uniuersis cognationibus Israhel, assumamus exemplum: (si filii essetis Abraham, faceretis opera patris uestri\'; et apostolus scribit: uidete Israhel iuxta carnem. ex quo docet esse alium Israhel iuxta spiritum. ille est igitur Israhel, qui mente cernit deum siue rectissimus domini est, et huiuscemodi Israhel erit populus dei.

Haec dicit dominus: inuenit gratiam in deserto populus, qui remanserat gladio; uadet ad requiem suam Israhel. LXX: sic dixit dominus: inueni calidum in deserto cum his, q ui perierant gladio; ite et nolite interficere Israhel!

Ridicule in hoc loco Latini codices ambiguitate uerbi Graeci pro \'calido\' \'lupinos\' interpretati sunt; Graecum enim OEPMON utrumque significat, quod et ipsum non habetur in Hebraeo. est enim scriptum \'hen\', quod Aquila, Symmachus et Theodotio λάριν, hoc est \'gratiam\', interpretati sunt; soli LXX posuere \'calidum\' putantes ultimam litteram m esse. si enim legamus \'hen\' per litteram \'n\', \'gratia\' dicitur: si per \'m\', \'calor\' interpretatur.

est autem sensus iuxta Hebraicum: populus Iudaeorum, qui Romano remanserat gladio uel certe iram furoris domini potuerat euitare, inuenit gratiam in deserto gentium, ut inter turbam nationum in ecclesia saluetur; unde uadet et inueniet requiem suam Israhel quam semper sperauerat, quam ei prophetarum promiserant uaticinia.

porro iuxta LXX haec intellegentia est: dominus inuenit calidos atque uiuentes apostolos et socios eorum in deserto gentium inter eos, qui infidelitate sua interfecti fuerant nec habebant calorem uitae. unde praecipitur angelis et his, qui in ministerio dei sunt, ne omnes interficiant, ne Israhel penitus deleatur. diciturque eis: ite et nolite interficere Israhel; sint aliqui, qui uiuant, sint, qui caleant ardore fidei, sint, qui frigus infidelitatis et mortis effugiant, quos dominus inueniat in deserto!\'

Longe dominus apparuit mihi — siue ei —: et in caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans. rursumque sed aed ificabo te et aedificaberis, uirgo Israhel. adhuc ornaber-is tympanis tuis — siue assumes tympana tua — et egredieris in

choro ludentium. adhuc plantabis uineas in montibus Samariae; plantate plantaria et uindemiate! erit enim dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: surgite et ascendamus in Sion ad dominum deum nostrum!

Quia offenderat Israhel dominum et dixerat: non habemus regem nisi Caesarem et: uenite et interficiamus eum, et nostra erit hereditas et longe recesserat a deo, propterea dominus post multum tempus apparuit ei — non tempore Zorobabel et Ezrae, postquam rursum capti sunt —, sed in caritate perpetua dilexit eum, quae nullo fine delebitur, et attraxit eum miserans; nequaquam enim merito, sed clementia saluatus est.

rursumque, ait, aedificabo te et aedificaberis, uirgo Israhel. hoc proprie intellegamus in ecclesia; delirant enim, qui auream atque gemmatam suspirant Hierusalem suam auaritiam in mysterio urbis domini consecrantes. \'adhuc ornaberis tympanis tuis, ut canas domino in ecclesiis omni in te malorum operum carne consumta. et egredieris in choro ludentium cum gentium turbis, plantabis uineas in montibus Samariae\', nequaquam in uallibus et humilibus locis, sed in montibus Samariae, qui post captiuitatem populi Israhel ab alienigenis possessi sunt. quibus dicitur: plantate plantaria et uindemiate!

tunc fuit dies domini, in qua clamauerunt custodes — apostoli uidelicet et apostolici uiri — in monte \'Samariae\' et in monte Ephraim\', quorum alterum \'custodiam\', alterum \'ubertatem\' sonat; quid uero dicunt custodes Samariae, immo quid clamant in monte Ephraim? \'surgite, qui iacetis, humilia relinquite, uictimarum hostias spernite\' — sacrificium domino spiritus contribulatus—\',ascendamus in Sion, hoc est in ecclesiam, ubi est speculatio et intuitus dei; cumque fuerimus in Sion, immo ascenderimus ad eam, ascendemus pariter ad dominum deum nostrum\'.

Quia haec dicit dominus: exultate in laetitia, Iacob, ei hinnite contra caput gentium; personate, canite et dicite: saluum fac, domine, populum tuum, reliquias Israhel! Significanter non totus saluatur Israhel, sed reliquiae Israhel praecipiente domino atque dicente: \'exultate in laetitia, qui estis de Iacob, e t hinnite ad caput gentium cuncta referentes, quia cauda Quondam uersa est in caput; personate et canite et dicite! quid est illud, quod iubentur dicere?

saluum fac, domine, populum tuum. quem populum? utique reliquias Israhel, quae secundum electionem saluae factae sunt, de quibus et Paulus assumens testimonium Isaiae loquitur: nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus et sicut Gomorra similes fuissemus.

Ecce ego adducam eos de terra aquilonis et congregabo eos ab extremis terrae; quodque sequitur: in solemnitate Phase; et generabit filios multos, in Hebraico non habetur, sed in LXX tantum legitur, pro quo apud Hebraeos scriptum est: inter quos erunt caecus et claudus et praegnans et pariens simul, ecclesia magna reuertentium huc.

Congregantur reliquiae populi Israhel per apostolos et apostolicos uiros, de quibus supra legimus: clamabunt custodes in monte et quibus praecipitur: personate et canite et dicite, ut saluae fiant reliquiae Israhel.

ipseque dominus pollicetur se reducturum eos de terra aquilonis, qui est uentus durissimus. nomine autem dexter uocatur, de incredulitate, de frigore dominicae caritatis et congregare eos ab extremis terrae non in alio tempore, sed in solemnitate Paschae, hoc est feriis dominicae passionis, quando crucifixus est dominus impletumque illud, quod ipse in euangelio repromisit: cum exaltatus fuero, omnia traham ad me. tunc generauit multum populum, ut illud impleretur Isaiae: quia nata est gens semel; uno enim die tria milia et quinque milia hominum crediderunt. quodque in Hebraico scribitur:

inter quos erunt caecus et claudus et praegnans et pariens simul, ecclesia magna reuertentium huc, quamquam et iuxta litteram impletum sit, quod caeci uiderint, claudi ambulauerint, tamen melius iuxta ἀναγωγὴν intellegi potest, quod, qui prius caeci erant perfidia, postea crediderint saluatori et, qui claudi, quibus quondam loquebatur Helias: usquequo claudicatis utroque pede?, postea ambulauerint et populus, qui sedebant in tenebris et umbra mortis, magnum lumen aspexerint claudique cucurrerint et praegnans pepererit filios, ecclesia magna reuertentium ad fidem.

Iudaei putant hoc esse conpletum, quando sub Ezra post diem Paschae egressi sunt de Babylone, ut reuerterentur Hierusalem, in quo typus fuit et non ueritas; neque enim in illo tempore uniuersa, quae legimus et lecturi sumus, fuisse conpleta poterunt approbare.

In fletu uenient — siue egredientur — et in misericordia reducam eos et adducam eos per tor- rentes aquarum in uia recta et non inpingent — sine non errabunt — in en, quia factus sum Israheli pater et Ephraim primogenitus meus est.

Si iuxta Hebraicum Iegerimus: in fletu uenient — hoc enim indicat \'iabu\' —, dicemus, quod interdum et nimii gaudii fletus indicium sit iuxta illud: lacrimo gaudio. sin autem iuxta LXX, qui dixerunt: in fletu egredientur et in misericordia — siue in consolatione — reducam eos, illum sensum ponemus, qui et in Psalmis dicitur: euntes ibant et flebant portantes semina sua; uenientes autem uenient in exultatione portantes manipulos suos.

fleuerunt enim, quando captiui ducti sunt, et consolationem maximam receperunt, quando misericordia domini sunt reducti. et adduxit eos dominus per apostolos et apostolicos uiros plenos aquarum et largissimi fluminis in uia recta, uidelicet fidei, non in perfidia Iudaeorum. et non, inquit, inpingent iii ea, quia caeci esse cessarunt, quibus quondam dictum est: si caeci essetis, non haberetis peccatum;, nunc uero dicitis, quia uidemus; peccatum uestrum manet.

possumus \'uiam rectam\' et Christum intellegere, in qua, quicumque ambulauerit, non impinget. factus sum, ait, Israheli pater, qui reductus est, et Ephraim primogenitus meus est; ubi enim quondam abundauit peccatum superabundauit gratia. Ephraim autem in typo esse populi de gentibus congregati scriptura testatur.

fuit enim posterior filius Ioseph et subripuit primogenita Manasse, qui natura primitiuus erat; sed in mysterio crucis decusatis manibus, qui stabat ad sinistram Iacob, dextrae manus eius suscepit benedictionem et, qui steterat ad dextram. sinistra benedictus in secundum redactus est gradum. et quomodo Iacob Esau, sic Ephraim Manasse rapuit primogenita omnisque populus decem tribuum uocatus est Ephraim, quia Hieroboam, filius Nabat, ex hac tribu regnum primus optinuit in Samaria.

Audite uerbum domini, gentes, et annuntiate insulis, quae procul sunt, et dicite: qui dispersit Israhel, congregabit eum et custodiet eum sicut pastor gregem suum, quia redemit dominus lacob et liberauit eum de manu potentioris — siue fortioris —. et uenient et laudabunt in monte Sion et confluent ad bona domini super frumento et uino et oleo et fetu pecorum et armentorum. erit anima eorum quasi hortus inriguus - siue quasi lignum fructiferum — et ultra non, esurient .

tunc laetabitur uirgo in choro - sine uirgines — et iuuenes ac senes simul et conuertam luctum eorum in gaudium et consolabor eos et laetificabo a dolore suo et inebriabo animam sacerdotum pinguedine — siue filiorum Leui - et populus meus bonis meis adimplebitur, ait dominus .

Perspicue uocatio gentium demonstratur dicente scnptura: audite uerbum domini, gentes, et annuntiate insulis, quae procul sunt, et dicite! quid annuntiant insulis, quae procul sitae sunt ? quod dominus, qui dispersit Israhel, ipse congregabit eum — nequaquam ergo, ut dispergerentur, potentiae fuit aduersariorum, sed domini uoluntatis — et custodiet eum sicut pastor gregem suum — pas tor enim bonus ponit animam suam pro ouibus suis —, quia redemit dominus Iacob pretio sanguinis sui et liberauit eum de manu potentioris sine fortioris.

per quae ostenduntur fortiores aduersariae potestates natura fragilitatis humanae et, quantum in utrisque uirium est, illas fortiores esse natura, sed nos fortiores fide, si tamen mereamur liberari ab eo, qui potest alligare fortem et domum eius diripere.

etuenient, inquit, — hau dubium quin liberati de manu potentium — et laudabunt liberatorem suum in monte Sion, hoc est in ecclesia, et confluent ad bona domini, rerum omnium abundantiam, quae non in frugibus et cibis carnis istius, sed in uirtutum uarietate sentitur.

super frumento, inquit, et uino et oleo — de quo conficitur panis domini et sanguinis eius impletur typus et benedictio sanctificationis ostenditur dicente scriptura:

unxit te deus, deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis — et fetu pecorum, qui in ecclesia simplices sunt, et armentorum, quae cornuta sunt et aduersarios uentilant.

ut autem sciamus benedictiones has nequaquam ad corpus, sed ad animam pertinere, sequitur: eritque aonima eorum quasi hortus irriguus siue quasi lignum fructiferum, quod plantatum est secus decursus aquarum, et paradisus domini in deliciis.

et ultra, ait, non esurient; nequaquam ea esurie, de qua scriptum est: beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, sed ea, quae saturitate mutatur et rerum omnium excludit paenuriam. tunc laetabitur uirgo in choro — de qua scribit apostolus: despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo — et iuuenes — ad quos loquitur Iohannes: scribo uobis, iuuenes, quoniam uicistis malignum-et senes, ad quos idem mystico sermone testatur: scribo uobis, patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est.

et conuertam, inquit, luctum eorum in gaudium — ut, quos terruerat crux, laetificet resurrectio — et consolabor eos et laetificabo a dolore suo — iuxta illud, quod dominus loquitur: beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur— et inebriabo ani mam sacerdotum, qui habent scientiam dei, de quorum ore interrogant legem domini, qui credunt in eum, ad quem propheta canit: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec.

quod autem sequitur iuxta LXX: filiorum Leui, in Hebraico non habetur et perspicuum est nequaquam hic dici de his sacerdotibus, qui sunt filii Leui, sed de his, in quorum typum praecessit Melchisedec. \'ebrietas\' autem sacerdotum et in apostolis conprobatur, quando feruebant fide et musto pleni dicebantur; unde et locus, in quo conprehensus est dominus, uocatur \'Gessemani\', quod in lingua nostra \'uallem pinguedinis\' sonat.

cumque sacerdotes pingues fuerint doctrina domini et inebriati in conuiuio Ioseph dixerint: calix tuus inebrians quam praeclarus, tunc erit et hoc, quod nunc dominus pollicetur: et populus meus bonis meis adimplebitur. quae omnia nunc ex parte tribuuntur; tunc autem dabuntur in pleno. quando uiderimus facie ad faciem et corpus humilitatis nostrae fuerit resurrectionis gloria commutatum.

Haec dicit dominus: uox in excel-so audita est lamentationis, fletus et luctus Rachel plorantis filio: suos et noluit consolari super filiis suis, quia non sunt. LXX; sic dixit dominus: uox in Rama audita est, lamentatio et fletus et luctus Rachel plorantis filios suos et noluit conquiescere, quia non sunt.

Nec iuxta Hebraicum nec iuxta LXX Mattneus sumsit testimonium; legimus enim in eo post descriptionem infantum necis: tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: uox in Rama audita est. ploratusetululatus mul-

tus Rachel flentis filios suos et noluit consolari, quia non sunt. ex quo perspicuum est euangelistas et apostolos nequaquam ex Hebraeo interpretationem alicuius secutos, sed quasi Hebraeos ex Hebraeis, quod legebant Hebraice, suis sermonibus expressisse.

Rachel, mater Iosepb, cum ueniret Bethleem, subito partus dolore correpta peperit filium, quem obsetrix, quia moriebatur pariens, uocauit Benoni, hoc est filius doloris mei; pater autem Iacob mutauit uocabulum et appellauit eum Beniamin, hoc est filius dexterae.

quaeritur itaque, quomodo Mattheus euangelista testimonium prophetae ad interfectionem transtulerit paruulorum, cum perspicue de decem tribubus scriptum sit, quarum princeps fuit Ephrathae. et nequaquam sit in tribu Ephraim, sed in tribu Iuda. ipsa est enim et Bethleem διώνομος, unde et nomina utriusque concordant; \'Bethleem\' uocatur \'domus panis), \'Ephratha\' καρποφορία, quam nos \'ubertatem\' possumus dicere.

quia igitur Rachel in Ephratha, hoc est in Bethleem, condita est — sicut et scriptura sancta et titulus sepulchri eius hodieque testantur —, flere dicitur pueros, qui iuxta se et in suis regionibus interfecti sunt.

quidam Iudaeorum hunc locum sic interpretantur. quod capta Hierusalem sub Uespasiano per hanc uiam, Gazam et Alexandriam infinita milia captiuorum Romam directa sint; alii uero, quod ultima captiuitate sub Hadriano, quando et urbs subuersa est Hierusalem, innumerabilis populus diuersae aetatis et utriusque sexus in mercato Terebinthi uenundatus sit; et idcirco exsecrabile esse Iudaeis mercatum celeberrimum uisere.

dicant illi, quod uolunt, nos recte testimonium sumsisse dicemus euangelistam Mattheum pro loco, in quo Rachel condita est et uicinarum in circuitu uillarum filios quasi suos fleuerit.

Haec dicit dominus: quiescat uox tua a ploratu et oculi tui a lacrimis, quia est merces operi tuo, ait dominus, et reuertentur de terra inimici — siue inimicorum — et erit spes nouissimis tuis. ait dominus, et reuertentur filii ad terminos nos suos.

Hoc iuxta litteram necdum factum est — neque enim decem tribus, quae in ciuitatibus Medorum exsulant atque Persarum. reuersas in terram Iudaeam legimus —, sed iuxta spiritum et in passione domini completum est et hucusque completur, quando de toto orbe saluatur Israhel et Rachel dicitur: quiescat uox tua a ploratu et oculi tui a lacrimis! et est sensus: \'plorare desiste — priora enim opera tua respexit dominus — et reuertentur filii tui de terra inimici nec praesenti dolore tenearis! est enim spes in nouissimis tuis, ait dominus, et reuertentur filii tui ad terminos suos, quos habuerunt patres eorum, Abraham. Isaac et Iacob\'.

melius autem de paruulis intellegimus, quod mercedem habeant effusi pro Christo sanguinis et pro terra Herodis inimici teneant regna caelorum et reuersuri sint in sedem pristinam, quando pro corpore humilitatis corpus receperint gloriosum. ista est spes nouissima, quando iusti fulgebunt quasi sol et infantes quondam paruuli atque lactantes absque aetatum incremento et iniuriis ac labore corporeo resurgant in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi.

Audiens audiui Ephraim transmigrantem — siue la mentantem — : castigasti me et eruditus s sum sicut iuuencus indomitus— siue sicut uitulus et non didici — ; conuerte me, et conuertar. quia tu dominus deus meus. postquam enim conuertisti me-siue captus sum —; egi paenitentiam et, postquam cognoui — siue ostendisti mihi —, percussi femur meum — sine ingemui — ; confusus sum et erubui — siue ex die con fusionis et ostendi te —, quoniam sustinui opprobrium adulescentiae meae.

Loquitur deus, quid Ephraim dicentem audierit et lamentantem. nulli autem dubium. quin decem tribus significet, quibus primus imperauit Hieroboam, filius Nabat, qui et uitulos aureos fecit in Dan et Bethel, ut hoc populus errore seductus deum Israhel colere et adorare desisteret. castigasti me, inquit, et castigatus sum. omnis correptio proficit in salutem, quae ad praesens uidetur esse tristitiae et postea fructus affert pacificos.

quodque ait: quasi iuuencus indomitus siue uitulus et non didici, hoc significat, quod multo labore atque uerberibus eruditus sit, ut ad paenitentiam uerteretur, et non profecerit. \'conuerte,\' inquit. \'me, et conuertar\' — ergo et ipsum, quod agimus paenitentiam, nisi dei nitamur auxilio, implere non possumus —; \'postquam enim conuerteris me et ad te conuersus fuero, tunc cognoscam, quia tu dominus deus meus es et nequaquam errores mei atque peccata. et postquam conuertisti me.

egi paenitentiam\'. uide, quantum sit auxilium dei et quam fragilis humana condicio, ut hoc ipsum, quod agimus paenitentiam, nisi dominus nos ante conuerterit, nequaquam implere ualeamus. <et postquam\', ait, \'ostendisti mihi uel ipsam paenitentiam uel tui notitiam siue cognoui te, percussi femur meum.\' quod dolentis et plangentis et super errore pristino plorantis indicium est, ut femur manu percutiat et stultum se ante fuisse fateatur.

confusus sum, inQuit, et erubui siue ex die confusionis. quod enim tempus non est confusionis nostrae. si recordemur antiqua peccata et omnium, quae male egimus, capiamus memoriam? quodque dixere LXX: et ostendi te, significat, quod, postquam ingemuit et sua delicta cognouit, tunc in tantum profectum uenerit, ut etiam aliis ignorantibus deum ostenderit iuxta illud, quod et Dauid paenitens loquitur: docebo iniquos uias tuas et impii ad te conuertentur. quoniam sustinui.

inquit, opprobrium adulescentiae meae. per aetatis ignorantiam peccasse se dicit, ut facilius ueniam consequatur iuxta illud. quod et Dauid canit: delicta iuuentutis meae et ignorantias meas memineris! unde et in consequentibus dominus \'paruulum\' eum uocat et \'deliciis afluentem\'; hoc autem dicit propter diuitiarum magnitudinem et terrae fertilitatem, qua Ephraim tribus hucusque luxuriat.

Si filius h onorabilis — siue dilectus — mihi Ephraim, si puer delicatus? quia, ex quo o locutus sum de eo — siue uerba mea in eo —, recordabor eius adhuc; idcirco conturbata sunt uiscera mea super eo, miserans miserebor eius, ait dominus. Paenitentiam agente Ephraim et dicente in principio:

erudisti me et eruditus sum quasi iuuencus indomitus et in fine: quoniam sustinui opprobrium adulescentiae meae, respondet dominus et plena ad se mente conuersum tali sustentat oraculo: \'filius dilectus mihi Ephraim, quem in tantum dilexi ab initio, ut fratri praeferrem Manasse.\'

filius honorabilis, qui contra naturae ordinem honorem primogeniti domini dignatione suscepit; puer delicatus, de quo scribit: filii Ephraim intendentes et mittentes arcum conuersi sunt in die belli, contra quem et ad quem totus Osee prophetae liber est, cui benedicit Iacob. delicias\' autem in hoc loco iuxta illud accipiamus, quod in psalmo dicitur: delectare in domino, et dabit tibi petitiones cordis tui, pro quo in Graeco et in Hebraico habet: deliciis aflue; unde et paradisus in Eden \'deliciarum\' paradisus appellatur.

\'quia,\' inquit, (fuerunt uerba mea in eo recordatione memor ero eius adhuc.1 ne putaretur gratuita benedictio et ex indulgentia potius largitoris quam i merito eius, in quem conferebatur, esse conlata, ideo ait: recordabor eius, quia uerba mea fuerunt in eo, non in ore eius, non in labiis, sed in imo cordis affectu; propter quam causam et conturbata sunt uiscera mea super eo. cui loquitur et per Osee: quid tibi faciam, Ephraim?

quid tibi faciam, Israhel? quasi Adama ponam te et quasi Seboim? conuersum est in me cor meum. conturbata sunt uiscera mea. non faciam furorem irae meae et non disperdam Ephraim. miserans miserebor eius, ait dominus. fuerunt quidem sermones mei in eo et omnia mandata mea auido suscepit animo et in suo corde seruauit; sed tamen miserans miserebor eius.\' ut ostenderet omnem hominum iustitiam indigere misericordia dei.

Statue tibi speculas, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in uiam directam, in qua ambulasti; reuertere, uirgo Israhel, reuertere ad ciuitates tuas istas! usquequo deliciis dissolueris, filia uaga? quia creauit dominus nouum super ter- ram: femina circumdabit uirum.

LXX: statue tibi speculatores, fac poenam, da cor tuum in humeros tuos: uiam, in qua ambulasti. reuertere, uirgo Israkel, reuertere in ciuitates tuas lugens! usque-

quo conuerteris, filia despecta? quoniam creauit te dominus salutem in plantationem nouam; in salute tua circumibunt homines.

Lbi nos diximus: usquequo delicns dissolueris?, Symmachus posuit: usquequo demergeris in profundum? utramque autem editionem ex toto posui caput obscurissimum et ecclesiae continens sacramenta a LXX — sine quis alius hunc prophetam interpretatus est — aut ignoratum aut omissum ostenderem.

uerbum Hebraicum \'sionim\' uel in \'speculatores\' uel in \'speculas\' uertitur, ut Aquila et Symmachus interpretati sunt. unde miror, quid sibi uoluerit uulgata editio, ut pro \'sionim\', hoc est \'speculatoribus\', \'Sion\' poneret turbaretque lectoris intellegentiam, quo putaret post Ephraim ad Sion et ad tribum Iuda repente dei factum esse sermonem, cum perpetua oratio sit ad Ephraim, cui et supra locutus est: audiens audiui Ephraim et: filius honorabilis mihi Ephraim siue puer delicatus, cui et nunc loquitur: \'statue tibi speculas siue speculatores, qui tibi praenuntient aduenire tantam rerum omnium felicitatem.\'

quodque sequitur \'amaritudines\', quae Hebraice dicuntur \'themruum\'. pro quibus Symmachus interpretatus est \'transmuta\', hoc indicat, quod flere debeat uel antiqua peccata uel gaudii magnitudine et tota ad deum mente conuerti et ponere siue dirigere cor suum in uiam, per quam profecta est; inde enim illam esse redituram.

quodque pro hoc dixere LXX: da cor tuum in humeros, illud significat, quod cogitationes debeat operibus iungere sine humeros contemplari portantium se, de captiuitate reducentium; quod Isaias plenius exsequitur in camelis et curribus ac basternis eos asserens reducendos. \'reuertere.

\' inquit, \'uirgo Israhel, reuertere ad ciuitates tuas, quas captiuas deseruisti! usquequo neglegentia dissolueris et profundo errore uagaberis? respice, quid dicturus sum et, unde tibi tanta beatitudo speranda sit, diligens attende; audi. quod numquam ante cognoueras! nouam rem creauit dominus super terram: absque uiri semine. absque ullo coitu atque conceptu femina circumdabit uirum gremio uteri sui, qui iuxta incrementa quidem aetatis per uagitus et infantiam proficere uidebitur sapientia et aetate, sed perfectus uir in uentre femineo solitis mensibus contine-

bitur.\' unde et Symmachus et Aquila iuxta nostram editionem interpretati sunt. quid sibi autem in loco hoc uoluerit editio uulgata, possem dicere et sensum aliquem repperire, nisi de uerbis dei humano sensu argumentari esset sacrilegum. Theodotio autem et ipse uulgatae editioni consentiens interpretatus est: creauit dominus salutem nouam, in salute circumibit homo singularem ponens pro plurali; simulque et hoc notandum, quod natiuitas saluatoris atque conceptus dei creatio\' nuncupetur.

Haec dicit dominus exercituum deus Israhel: adhuc dicent uerbum istud in terra Iuda et in urbibus eius, cum conuertero captiuitatem eorum: b ben edicat tibi dominus, pulchritudo iustitiae, mons sanctus! et habitabunt in eo Indas et omnes ciuitates eius simul, agricolae et minantes greges.

LXX: sicdixit dominus uirtutum deus Israliel: adhuc dicent sermonem istum in terra Iuda et in urbibus eius, quando reduxero transmigrationem eius: benedictus dominus super iustum montem sanctum eius et, qui habitant in terra Iudaea e t in omni ciuitate eius cum agricola; et eleuabitur in grege.

Iuxta Hebraicum manifestum est, quod in reditu Israhel et in terram suam captiuitate conuersa habitent urbes Iuda et dicatur eis per singula: benedicat tibi dominus, qui est uere pulchritudo iustitiae et mons sanctus, in quo qui habitauerit, nullas timebit insidias; et habitabit absque iniquitate ludas in ciuitatibus suis eruntque agricolae et pecorum multitudo. quod ex parte uidetur sub Zorobabel et Ezra esse completum, plenitudo autem uaticinii ad Christi tempora referatur: uel in primo aduentu, quando spiritaliter haec facta sunt, uel in secundo, quando uniuersa complentur, iuxta nos spiritaliter, iuxta Iudaeos et nostros iudaizantes carnaliter.

porro iuxta LXX hic sensus est: \'adhuc sermo iste dicetur in terra Iuda et in ciuitatibus eius, quando conuertero captiuitatem eius\', quid dicetur? benedictus dominus super iustum montem sanctum eius. mons, qui iustitiae et sanctitudinis\' mereatur nomen accipere, nullus est alius nisi saluator; ceterum stultum est inrationalem et insensibilem montem errore Iudaico \'iustum et sanctum\' credere.

ipse est, de quo et in consequentibus scribitur: et in omni ciuitate eius — subauditur saluatoris — cum agricola; non dubium, quin deum significet, de quo et in euangelio scriptum est: ego sum uitis. uos palmites et pater meus agricola; unde et apostolus loquitur: dei agricultura, dei aedificatio estis. quodque sequitur: et eleuabitur in grege, hoc ostendit, quod in singulis gregibus iustus et sanctus et agricola ipse dominus eleuetur et in seruis suis atque credentibus ad excelsa conscendat.

Quia inebriaui animam lassam — siue quia inebriaui omnem animam sitientem — et omnem animam esurientem saturaui — siue replent —, ideo expergefactus sum et uidi et somnus meus dulcis fuit mihi.

Mutatio personarum obscuram facit intellegentiam prophetarum. dixerat dominus: adhuc dicent uerbum istud in terra Iuda et in urbibus eius, cum conuertero captiuitatem eorum. quid autem dicent? hau dubium quin hoc, quod sequitur: benedicat tibi dominus, pulchritudo iustitiae, mons sanctus et cetera. rursumque illis ista dicentibus respondet dominus: quia inebriaui animam lassam — siue sitientem — et omnem animam esurientem saturaui.

illoque ista dicente respondet populus, qui de captiuitate uenerat: ideo expergefactus sum et uidi et somnus meus dulcis fuit mihi. quia dominus inebriat animam lassam siue sitientem et dicit in euangelio: qui sitit, ueniat ad me et bibat et: qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquae uiuae et omnem animam esurientem satiat atque sitientem, de qua siti et esurie idem in euangelio contestatur: beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

notandumque, quod \'ebrietas\' in hoc loco in bonam partem ponatur, de qua et in Cantico dicitur: comedite, amici. bibite et inebriamini, carissimi! qua ebrietate et Ioseph inebriatus est cum fratribus suis in meridie. inebriati autem atque saturati hi, qui lassi fuerant atque esurierant, agunt gratias respondentes: \'expergefactus sum et uidi dominum\', scilicet suscitantem atque dicentem: surge, qui dormis, et eleuare a mortuis, et inluminabit te Christus.

cet somnus.\' inquit, \'meus dulcis fuit mihi. ut imitarer domini mei uerba dicentis: ego dormiui et soporatus sum; et exsurrexi, quia dominus suscepit me\',

Ecce dies ueniunt, dicit dominus, et seminabo domum Israhel et domum Iuda semine hominum et semine iumentorum. et sicut uigilaui super eos, ut euellerem et demolirer et dissiparem et disperderem et affligerem, sic uigilabo super eos, ut aedificem m et plantem, ait dominus. in diebus illis non dicent ultra: patres comederunt uuam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in iniquitate sua morietur; omnis homo, qui comederit uuam acerbam, obstupescent dentes eius.

\'Domum\' e \'domum\', id est domum Israhel et domum Iuda, in LXX non habet, sed tantum: Israhel et ludam, ut sit: et seminabo Israhel et ludam. quodque intulit: semine hominum et semine iumentorum, ad rationales et simplices referre debemus. et sicut in principio Hieremiae dictum est ad eum: ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut euellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes, et uigilaui super eos, ut facerem, quod minatus sum, sic\', inquit, \'nunc uigilabo super eos, ut aedificem et plantem; dei

enim agricultura, dei aedificatio estis.\' omnes huiuscemodi repromissiones iuxta Iudaeos et nostros iudaizantes in mille annorum regno putantur esse complendae. nos autem dicente apostolo: ego plantaui, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit et Isaia propheta, quod saluator aedificator saepium et domorum esse memoretur, in primo aduentu Christi spiritaliter impleta defendimus - et impleta ex parte, non ex toto, quia nunc in speculo uidemus et in aenigmate et nescimus, sicut oportet nos scire; cum autem uenerit, quod perfectum est, tunc, quod ex parte est, destruetur — aut certe in secundo complenda credimus aduentu, quando in sua maiestate dominus apparebit et subintrauerit plenitudo gentium. ut omnis Israhel saluus fiat et nequaquam ex parte per singulos, sed sit deus omnia in omnibus. quodque infertur: in diebus illis non dicent ultra:

pares comederunt unam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt et reliqua, in explanationibus Hiezechiel pleniusDius disseruimus, quando interpretati sumus illum locum: fili hominis, quid uobis et parabolae isti inter filios Israhel dicentium: patres comederunt uuam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt ? uiuo ego, dicit dominus, si fuerit adhuc haec parabola in Israhel! quia omnes animae meae sunt, sicut anima patris. sic et anima filii: anima quae peccauerit, ipsa morietur. per quae discimus mortem non facere dominum, sed peccatum: anima enim, quae peccauerit, ipsa morietur.

hocque in praesenti loco dicitur, quod nequaquam peccatis patrum in aeternum offenderit Israhel, sed propriis meritis et fide in Christum post tempora multa saluetur. et obseruandum, quod uitia atque peccata uua acerba\' dicatur, ut comedentium dentes obstupescant et non possint suauitatem eius sentire, de quo dicitur: gustate et uidete, quia suauis est dominus!

qUicumque scripturas non ita intellegit, ut rei ueritas habet, uuam acerbam comedit; unde et omnes heretici peruersa credentes panem de caelo descendentem comedere non possunt, sed obstupescunt dentes eorum non ciborum austeritate, sed uitio dentium.

Ecce dies ueniunt, dicit dominus, et feriam — siue disponam — domui Israhel et domui Iuda pactum — siue testamentum — nouum non secundum pactum — siue testamentum —, quod pepigi cum patribus uestris in die, quando adprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum — siue testamentum —, quod irritum fecerunt; et ego dominatus sum eorum — siue ego neglexi eos —,

dicit dominus. et hoc erit pactum — siue testamentum —, quod feriam cum domo Israhel postdiesillos illos, dicit dominus: dabo legem meam in uisceribus — siue in mente — eorum et in corde eorum scribam eam et ero eis in deum et ipsi erunt mihi in populum.

et non docebunt ultra unusquisque proximum suum et unusquisque fratrem suum dicens: cognosce dominum, quia omnes scient me a minimo eorum usque ad maximum, ait dominus, quia propitiabor iniquitati eorum et peccati eorum non ero memor amplius.

Hoc testimonio apostolus Paulus — siue quis alius scripsit epistulam — usus est ad Hebraeos omnesque deinceps ecclesiastici uiri in primo saluatoris aduentu dicunt uniuersa completa et Nouum Testamentum, hoc est euangelium, successisse Ueteri Testamento, a quo legem litterae lege spiritus commutatam, ut omnia quoque sacrificia et circumcisio et sabbatum spiritaliter complerentur. quod autem pactum pro \'testamento\' ponimus, Hebraicae ueritatis est, licet et testamentum recte pactum appellatur, quia uoluntas in eo atque testatio eorum, qui pactum ineunt, continetur.

quando eductus est Israhel de terra Aegypti, tanta dei in populo illo familiaritas fuit, ut manu eum adprehendisse dicat et dedisse pactum. quod illi fecerunt irritum; et propterea dominus neglexit eos.

nunc autem in euangelio post crucem, reanrrectionem et ascensionem dare se pactum non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus pollicetur, cumque scriptum fuerit domini testamentum in mente credentium, ipsum esse eis in deum et illos esse ei in populum, ut nequaquam Iudaicos quaerant magistros et traditiones et mandata hominum, sed doceantur a spiritu sancto, si tamen audire mereantur: templum dei estis et spiritus dei habitat in uobis. spiritus autem spirat, ubi uult, et diuersas habet gratias notitiaque unius dei omnium uirtutum possessio est. \'et hoc\', inquit.

\'fiet, quia propitius ero iniquitati eorum et peccati eorum non recordabor amplius.\' ei quo Perspicuum est secundum huius περικοπῆς intellegentiam superiora in primo intellegenda saluatoris aduentu, quando uterque sibi populus Israhel et Iudas copulatus est.

si cai autem scrupulum facit, quare dixerit: disponam domui Israhel et domui Iuda pactum — siue testamentum — nouum non siue testamentum, quod pepigi cum patribusuestris, intellegat primam ecclesiam Christi ex Iudaeis et ad illos uenisse dominum saluatorem atque dixisse: non ueni nisi ad oues perditas domus Israhel et id ipsum apostolos confirmasse: uobis quidem oportebat primum loqui uerbum dei; sed quoniam repellitis illud et indignos uos iudicatis aeterna uita, ecce conuertimur ad gentes.

non enim oportebat panem filiorum dare canibus, sed quia filii patrem in sua uenientem suscipere noluerunt, dedit omnibus potestatem, ut, qui receperint eum, fiant filii dei.

Haec dicit dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunae et stellarum in lumine noctis, qui turbat mare et sonant fluctus eius; dominus exercituum nomen illi. si cessauerint leges istae — siue statuta haec — coram me, dicit dominus, tunc et semen Israhel deficiet, ut non sit coram me cunctis diebus.

Et in Genesis principio legimus solem in caelo positum in lumine diei, lunam quoque et stellas in noctis lumine et in psalmo: dies diei annuntiat uerbum et nox nocti indicat scientiam, quod inuicem sibi dies noxque succedant.

\'quomodo,\' inquit, (rerum et maxime caelestium astrorum non potest ordo mutari et sonantis maris fluctus uoluuntur ad litora fragorque gurgitum et undarum intumescentium terribilis auditur nec potest ultra procedere. quam dei iussione praeceptum est, iuxta illud: terminum posuisti, quem non transibunt, neque conuertentur operire terram, sic\', inquit, \'semen et genus Israhel domini erit uoluntate

perpetuum nec aliquando deficiet.\' leges\' autem hic non Mosaicae intellegendae sunt, sed constitutio et ordo naturae.

interrogemus Iudaeos: \'si caeli peribunt et omnes quasi uestimentum ueterescent et ad deum dicitur: tu autem ipse es et anni tui non deficiunt, quomodo semen Israhel potest esse perpetuum?* aut enim pereuntibus caelis peribit et semen Israhel aut, si fuerit perpetuum, ergo nec caeli peribunt. quodsi scriptura mentiri non potest et perituri sunt caeli, peribit igitur et semen Israhel, maxime cum et Iacob loquatur ad filios: uenite, et annuntiabo uobis, quid futurum sit in nouissimis diebus: quando autem dicitur: in nouissimis diebus, ergo mundus esse cessabit et alia fiet rerum dispensatio. hoc aduersum illos.

ceterum nostris mundum istum non esse perpetuum etiam euangelium demonstrat dicens: caelum et terra pertransibunt et: ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. dicamus et aliter: quamdiu mundus iste fuerit, semen Israhel et gentem Iudaicam permansuram non in his, qui nunc increduli sunt, sed in his, qui cum apostolis et per apostolos crediderunt, ut reliquiae saluae fierent.

Haec dicit dominus: si mensurari potuerint caeli sursum et inuestigari fundamenta terrae deorsum, et ego abiciam uniuersum semen Israhel propter omnia quae fecerunt, dicit dominus. LXX: haec dicit dominus: si eleuatum fuerit caelum sublimius et si humiliatum pauimentum terrae deorsum, et ego non reprobabo genus Israhel, dicit dominus, pro omnibus, quae fecerunt.

Multum in hoc loco distat Hebraicum ab editione uulgata. dicamus primum iuxta Hebraicum: <si mensurari potuerint caeli sursum et eorum altitudo cognosci uel inuestigari fundamenta terrae et extrema eorum ratione conprehendi, et ego\', inquit, \'abiciam uniuersum semen Israhel propter omnia, quae fecerunt, dicit dominus. quomodo autem illud inpossibile est, ut caelorum summitates et terrae fundamenta noscamus, sic et hoc inpossibile erit, ut abiciam uniuersum semen Israhel. sin autem abiecero uniuersum semen Israhel, ergo mensurabitur caelorum summitas et extrema terrarum\'.

hic syllogismus et in euangelio texitur, quando inpossibile inpossibili conparatur: facilius camelus intrabit per foramen acus quam diues in regna caelorum. quomodo enim illud fieri non potest. sic nec hoc fieri poterit; quodsi hoc factum fuerit, ergo fiet et illud, quod inpossibile putabatur. errant ergo, qui hunc locum aliter edisserunt ponentes et illud testimonium, quod potuerit petere patrem filius et duodecim legiones angelorum adducere in suum auxilium.

huic sensui LXX contrarium transtulerunt dicentes: si exaltatum fuerit caelum sublimius et humiliatum pauimentum terrae deorsum, et ego. inquit, non reprobabo semen Israhel, dicit dominus, propter omnia, quae fecerunt. quod si ita est, reprobabitur gens Israhel: quomodo enim caelum non potest eo. quod est, esse sublimius

nec terra humilior esse eo, quod est, sic et genus Israhel nequaquam poterit conprobari. si uiderimus Iudaeos iuxta Hebraicum hoc testimonio gloriari.

adsentiamur eis, quod non sit abiectum uniuersum semen Israhel; neque enim omnes abiecti sunt, sed hi tantum, qui fuerunt increduli.

Ecce dies ueniunt, dicit dominus, et aedificabitur ciuitas domino a turre Ananehel usque ad portam anguli. et exibit ultra norma — siue iuxta Symmachum funiculus — mensurae eius contra eam super collem Gareb et circumibit Goatha — siue iuxta LXX de electis lapidibus — et omnem uallem ruinarum — pro quibus Theodotio ipsum uerbum Hebraicum posuit Phayarim — et cineres et omnem Asaremoth - quod melius legimus Asademoth, pro quo Aquila suburbana interpretatus est — usque ad torrentem Cedron et usque ad angulum portae equorum orientalis, sanctum domini; non euelletur et non destruetur usque in aeternum.

Qui mille annorum in terra Iudaea regnum Christi recipiunt, Iudaei uidelicet et nostri iudaizantes, conantur ostendere turrem Ananehel et portam anguli et collem Gareb et Goatha et uallem Phagarim et omnem Asademoth et torrentem Cedron et locum anguli portae equorum orientalis et ibi dicunt sanctuarium domini, id est templum, esse condendum mansurumque in perpetuum.

quod quia post captiuitatem temporibus Zorobabel et Ezrae non possunt monstrare conpletum, transeunt ad Christi tempora, quem in consummatione mundi dicunt esse uenturum, ut aurea atque gemmata iuxta Apocalypsin Iohannis descendat Hierusalem et hoc terrae spatio, hoc est ab illo loco usque ad illum locum, aedificetur per circuitum.

suspicionisque suae hanc aurulam capiunt, quod a turre Anathoth, quae hodie appellatur Hieremiae, tribus ab Hierusalem milibus separata usque ad torrentem Cedron — qui scribitur in euangelio et est in ualle Iosaphat, ubi hortus erat, in quo et ludas proditor tradidit saluatorem — ciuitatis fundamenta iaciantur.

\'lecturi,\' inquiunt, (sumus in consequentibus Anamehel, filium Salom, patruelem fuisse Hieremiae, cuius emit agrum; et haec est turris Ananehel\' ignorantes Hebraicam ueritatem; hic enim iuxta Hebraicum scribitur: a turre Ananehel, per \'nun\' uidelicet mediam litteram, ibi autem: ecce Anamehel, filius Sellum, patruelis tuus, ueniet ad te, per mediam \'m\' litteram.

inuocantes igitur dominum saluatorem, qui habet clauem Dauid, qui aperit, et nemo eludit, et qui eludit, et nemo aperit, qui signatum quoque Isaiae librum et omnium prophetarum aperuit et adorauerunt uiginti quattuor seniores tenentes citharas, quod solus potuerit diuina reserare mysteria, aggrediamur aedificium ciuitatis, ad quam propheticus sermo dirigitur: gloriosa dicta sunt de te, ciuitas dei, et: fluminis impetus laetificat ciuitatem dei.

aedificatur itaque ecclesia a turre \'oboedientiae\' siue \'gratiae\' et \'donorum dei\' — hoc enim interpretatur Ananehel — usque ad portam anguli; quae licet uideatur initium habere sublime, quamdiu in ista carne consistimus, rectam ueritatis lineam non - possumus possidere, sed in angulo stamus et fractis lineis exitque ultra funiculus mensurae contra eam, id est portam anguli, super collem Gareb, qui in linguam nostram uertitur aut \'incolatus\' aut \'scabies\', ut doceant nos aduenas esse atque peregrinos et auribus prurientes et ad nouitatem dogmatum pessimorum facile praebere consensum.

et circumibit, inquit, Goatha, pro quo interpretati sunt LXX: per gyrum electis lapidibus, qui uoluuntur super faciem terrae et angulari lapide constringuntur dicente apostolo Petro: et ipsi tamquam lapides uiui superaedificamini, do mus spiritalis, sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias as et acceptabiles deo per Iesum Christum.

et omnem, inquit, uallem Phagarim — quod interpretatur ruinarum — et cineres — subauditur \'circumibit\'—,ut, quamquam nobis uideamur in collibus, tamen semper timeamus ruinas et consideremus cineres et paenitentes dicamus cum Dauid: quia cinerem quasi panem manducaui et poculum meum cum fletu miscebam. unde et iacentibus dicitur: numquid, qui cadit, non resurgit?, dicit dominus.

et uniuersam, inquit, Sademoth, quod nos uertimus in regionem mortis unum nomen in duo uerba diuidentes: (sade\', quod dicitur \'regio\', et \'moth\', quod interpretatur \'mortis\', pro qua Aquila uertit \'suburbana\' siue \'arua\' et \'rura\'. \'regio\' autem \'mortis\' regio peccatorum est et \'suburbana\' regio uoluptatum, quae pergit usque ad torrentem Cedron-ubi traditus est dominus —, qui interpretatur \'tenebrae\'.

uide, quanta habeat loca ecclesia et quod illud apostolicum: ut sit sine macula et ruga, in futuro et in caelestibus reseruetur. audis angulos, audis scabiem. audis ruinas et cineres et regionem mortis et tenebras, et de tua uirtute et inpeccantia gloriaris!

denique sequitur: et usque ad angulum portae. et hic angulus, ne ulla uera iustitia, ne certa uictoria in isto saeculo demonstretur. ipse quoque angulus portae quamquam sit \'orientalis\', unde lumen egreditur, tamen \'equorum\' appellatur, ut indigere nos doceat cursu atque certamine et tandem cum domino audire mereamur: ascendisti equos tuos et equitatio tua salus.

in porta orientali, in porta quadrigarum sanctiScatio domini est, ut tunc nos perfectos arbitremur, quando dixerimus ad dominum: currus dei decem milium multiplex, milia laetantium; dominus in eis. istiusmodi aedificatio, quae super fundamentum Christi posita est, de qua loquitur et apostolus: ut sapiens architectus fundamentum posui, numquam destruitur, sed manebit in perpetuum. obscura et difficilia latius disserenda sunt, ut manifesta breuius percurramus.

Uerbum, quod factum est ad Hieremiam a domino in anno decimo Sedeciae, regis Iuda; ipse est annus octauus decimus Nabuchodonosor.tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Hierusalem et Hieremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis luda. clauserat enim eum Sedecias, rex Iudae, dicens: quare uaticinaris dicens: haec dicit dominus?

Non solum uerba, sed et opera prophetarum nobis exemplo sunt ad uirtutem. poterat Hieremias prospera nuntiare et regis Sedeciae frui amicitia, sed malebat deo magis oboedire quam hominibus et ei, qui potest et animam et corpus occidere in gehenna quam illi, qui tantum in corpus habere poterat potestatem.

et hoc considerandum, quod decimus annus erat regni Sedeciae obsessa iam Hierusalem et gladio, fame ac peste consumta et captiuitate uicina et tamen Sedecias perstat in sententia; et ex parte aliqua illius clementiae demonstratur, quod nequaquam eum in carcere, sed in uestibulo recludi iusserit carceris, libera uidelicet custodia, ne posset effugere, quasi non omnis Hierusalem clausa munitionibus communis carcer fuerit habitantium.

ipse est annus duodeuicesimus regni Nabuchodonosor, qui quarto anno regis Ioiacim cepit imperium. omnis autem causa irae regis ista est, cur loquatur ex domini nomine, quae ei fuerant imperata.

Ecce ego dabo ciuitatem istam in manu regis Babylonis et capiet eam. et Sedecias, rex Iuda, non effugiet de manu Chaldeorum, sed tradetur in manu regis Babylonis et loquetur os eius cum ore illius et oculi eius oculos illius uidebunt. et in Babylonem ducet Sedeciam et ibi erit, donec uisitem eum, ait dominus. quodsi pugnaueritis contra Chaldeos, nihil prosperum habebitis.

Haec erat causa irae regiae, quare praeferret mendacio ueritatem et tam urbem Hierusalem quam Sedeciam regem diceret esse capiendum; quodque grauius est, nisurum eum ora regis Babylonii et locuturum humilem atque captiuum cum inpotentissimi regis insania. grauior enim terror est uidere, quem timeas. et ante increpationem uerborum quam poenarum sustinere cruciatum. et in Babylonem. inquit.

ducet Sedeciam et ibi erit, pro quo LXX transtulerunt: et Babylonem; quorum alterum inuitum trahi, alterum uoluntate pergere significat. et ibi, inquit, erit: uerbum ponit ambiguum, ne uideatur cruciatus et miserias prophetare. quodque sequitur: donec uisitem eum, ait dominus.

et, si pugnaueritis aduersum Chaldeos, nihil prosperum habebitis, in LXX non habetur. prudenterque sententiam temperauit, quae ad bonam et ad malam partem referri potest; \'uisitatio\' enim, ut saepe dixi, et \'consolationem* significat et \'supplicium\'.

Et dixit Hieremias: factum est Uerbum domini a d me dicens: ecce Anamehel, filius Sellum — siue Salom —, patruelis tuus — quod Hebraice dicitur \'dodach\' —, uenit ad te dicens: eme tibi agrum meum, qui est in Anath oth; tibi enim conpetit ex propinquitate emtio.

Occultum ad Hieremiam dei factum esse sermonem nemo scire poterat nisi ipso indicante, ad quem factus fuerat. et praedicitur ei, quod uenturus sit ad eum Anamehel, patruelis suus, et possessionem agri, qui suus fuerat, delaturus; esse autem ipsum locum in Anathoth de suburbanis, quae sacerdotibus per singulas tribus et ciuitates dabantur ex lege; nec licitum erat possessionem de tribu transire ad tribum nec de familia ad aliam familiam — unde et filiae Salphaad accipiunt sortem inter fratres suos — praecipueque suburbana sacerdotum nulli alii poterant uenundari usque ad annum remissionis nisi ei, quem propinquitas sanguinis expetebat.

uenit ergo ad eum patruelis frater suus et offert emtionem, quae illi ex propinquitate debetur. Chelchias et Sellum fratres fuere germani; Chelchiae filius Hieremias, Sellum Anamehel. \'Chelchias\' interpretatur \'pars domini\', (Hieremias\' (sublimitas domini\'; recteque (altitudo domini\' de \'parte domini\' nascitur. \'Sellum\' uero in linguam nostram uertitur \'pax\' sine (pacificus\', \'Anamehel\' \'donum\' uel \'gratia dei\'; nec mirabimur, quod sibi \'pax\' iungantur et \'gratia\', cum etiam apostolicarum epistularum hoc principium sit: gratia uobis et pax. primum ergo pacem meremur dei et post pacem nobis gratia nascitur, quae non in possidentis, sed in donantis arbitrio est.

defert autem emtionem lgratia dei\' illi, qui in \'sublimibus\' conlocatus est, ut, quamuis uideatur excelsus, tamen gratia dei indigeat. illud, quod in Cantico saepe cantatur a sponsa: fratruelis s meus, id est 6 ἀδελφιδόϛ μου, in Hebraico \'dodi\' dicitur; ergo non \'fratruelis\', sed \'patradelfus\', id est \'patruelis\', dicendus est. fuisse autem Hieremiam filium Chelchiae de sacerdotibus, qui erant in Anathoth, in terra Beniamin, et uoluminis huius testatur exordium.

Et uenit ad me Anamehel, filius patrui mei, secundum uerbum domini ad uestibulum— siue atrium — carceris et ait ad me: posside siue eme — agrum meum, qui est in Anathoth, in terra Beniamin. quia tibi con petit hereditas et tu pro- pinquus, ut possideas siue emas.

Quod futurum prophetae uerbum domini nuntiarat, statim opere completum est. \'uenit\', inquit, \'ad me Anamehel\' — \'gratia dei\' —, \'filius patrui mei\' — hoc est \'filius pacis\' —; \'uenitautem in uestibulo carceris dixitque ad me ea, quae dominus ab eo dicenda praedixerat\'.

ager autem iste sacerdotalis, cuius emtio atque possessio Hieremiae deferebatur, in \'Anathoth\' est, in terra \'Beniamin\', quorum prius \'oboedientiam\', secundum filium dexterae sonat; et consequenter eius appetit emtionem, in quo \'oboedien-

tia\’ et \’uirtus\’ domini uersabantur. pro \’propinquo\’ LXX πρεσβύτερον, id est \’seniorem\’, interpretati sunt, quod loco huic non conuenit.

Intellexi autem, quod uerbum domini, esset, et emi agrum ab Anamehel, filio patrui mei, qui est in Anathoth, et appendi ei argentum, stateres septem et decem argenteos. et scripsi in libro et signaui aui et adhibui testes et appendi argentum in statera. et accepi librum possessionis signatum, stipulationes et rata et signa forinsecus.

Durum quidem erat et prope inconsequens risuque dignum eum, qui iam iamque capiendam prophetabat Hierusalem et omnes ducendos esse captiuos uel gladio, fame et peste perituros, agrum in Anathoth emere. quem non erat possessurus. \’sed intellexi,\’ inquit, \’uerbum esse domini et emtionem meam argumento et uaticinio domini coaptandam; et ideo adquieui praecepto eius, ut emerem, nec frustra ad me super huiuscemodi re dei factum esse sermonem et appendi argenti decem et septem siclos\’, quos nos in \’stateres\’ uertimus. siclus autem uiginti habet obolos, ut in Hiezecihelis extremo uolumine scribitur.

emitque propheta \’decem et septem\’ siclis, in quo numero cantauit puer domini Dauid in die, qua eruit eum dominus de manu omnium inimicorum eius et de manu Saul et dixit: diligam te, domine, fortitudo mea! dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus. deus meus adiutor meus et sperabo in eum; protector meus et cornu salutis meae. denarium numerum esse mysticum ostendit decalogus.

quae scripta fuit in tabulis lapideis digito dei, et dies ieiunii et propitiationis mensis septimi; \’septem\’ quoque, in quo uerus est sabbatismus et requies, esse sanctum multis scripturarum testimoniis conprobamus, de quibus saltem pauca posuissem, nisi otiosum esset docere, quae nota sunt.

in hoc igitnr numero a propheta et sacerdote emitur possessio scribiturque in libro atque signatur et adhibentur testes argentumque diligenter appenditur, ut omnia uenditionis et emtionis iura seruentur et sit certa possessio stipulationibus et responsionibus roborata. uel hoc audiant, qui falsa testamenta et interdum ne testamenta quidem sibi adhibitis testibus uindicare conentur!

Et dedi librum possessionis Baruch, filio Neri, filii Maasiae, in oculis Anamehel, patruelis mei in oculis testium, qui scripti erant in libro emtionis, in oculis omnium Iudaeorum, qui sedebant in atrio carceris.

Quamquam statim esset possessio relinquenda, immo emenda posteris, et ab eo emenda, qui filios non habebat — neque enim uxorem acceperat —, tamen oboediens imperio domini omnia rite celebrat signatumque librum possessionis dat Baruch, filio Neri, filii Maasiae. \’Baruch\’ in lingua nostra \’benedictus\’ dicitur, qui erat filius \’Neri\’, qui interpretatur \’lucerna mea\’ dicente propheta : lucerna

pedibus meis uerbum tuum et lux semitis meis ardens ; Neri quoque, pater Baruch, filius \'Maasiae\', id est <facturae\' et \'operis domini).

animaduertamus ergo, quantis uirtutum priuilegiis discipulus Baruch Hieremiae ministrauerit dicente Dauid: ambulans in uia inmaculata hic mihi ministrabat. unde et Heliseus, minister Heliae, in tantum placuit deo, ut post translationem magistri etiam duplicem . spiritum mereretur accipere. hoc dico ad commonitionem eorum. qui malorum hominum abutuntur ministeriis et non audent abicere, quos malae conscientiae norunt sibi glutino copulatos.

traditur autem liber Baruch, tanto et tali uiro, uidente Anamehel, qui uendiderat, et testibus, qui suscripserant et quorum nomina in emtionis uolumine tenebantur, et in conspectu, inquit, omnium Iudaeorum, qui sedebant in atrio carceris, qui uidelicet uel ad prophetam uenerant consolandum uel studio timoris dei domini uerba audire cupiebant.

Et praecepi Baruch coram eis dicens: haec dicit dominus exercituum deus Israhel: sume libros istos, librum emtionis hunc signatum et librum hunc, qui apertus est, et pone illos in uase fictili, ut permanere possint diebus multis. haec enim dicit dominus exercituum deus Israhel: adhuc possidebuntur domus et agri et uineae in terra hac.

Cunctis, quos praeteritus sermo narrauit, praesentibus et uidentibus Baruch ministro praecipitur et discipulo, non sermonibus praeceptoris, sed dei iubentis imperio, ut assumat libros, unum signatum, alterum apertum — quae emtionum consuetudo hucusque seruatur, ut, quod intrinsecus clausum signacula continent, hoc legere cupientibus apertum uolumen exhibeat —, utrumque in uase fictili, ut permanere possint diebus multis. firma igitur erat et longo post tempore futura possessio, quae tanta custodia seruabatur, ne uel foris emtionis libri positi paterent rapinae uel humo conditi umore terrae soluerentur.

hoc autem totum fit, ut intellegant, qui uidebant, rursum habitandam Hierusalem et possidendos agros; quod licet absque sermone Hieremiae debuerant per se intellegere, tamen domini sermonibus commonentur et dicitur ad eos: haec dicit dominus exercituum deus Israhel: adhuc possidebuntur domus et agri et uineae in terra ista. hoc est illud, quod Hieremias dudum dixerat: intellexi uerbum esse domini; et idcirco emit agrum, quem possessurus non erat.

Et oraui ad dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch, filio Neri, dicens: heu, heu, heu, domine deus - siue qui es, domine deus -, ecce tu fecisti caelum et terram in fortitudine tua magna et in bracchio tuo extento - siue excelso —; non erit tibi difficile — siue inpossibile — omne uerbum - uel iuxta LXX nihil apud te est absconditum —, qui facis misericordiam in milibus et reddis i ni quitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos, fortissime, magne, potens — quod Herbraice dicitur \'gibbor\' —, dominus exercituum - siue uirtutum - nomen tibi!

magnus consilio et inconprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes uias filiorum Adam — siue hominum —, ut reddas unicuique secundum uias suas et secundum fructum adinuentionum suarum.

Post emtionem agri iure celebratam et post sententiam domini, qua pollicitus est domos, agros et uineas deinceps possidendas, orat propheta ad dominum et dolorem cordis gemitibus exprimit dicens: heu. heu, heu, domine deus, pro quo LXX transtulerunt o av, id est qui es, domine deus, inxta illud, quod Mosi dicitur: uade, dic populo Israhel: qui est, misit me; non quo non sint alii, sed aliud est creatoris esse beneficio, quod subsistat, aliud aeternitate naturae.

laudat deum et ei creaturis praedicat creatorem: primumque potentiam eius et misericordiam atque iustitiam in omne hominum genus eleuat uocibus, dein transit ad Israhel et, quanta ei praestiterit, celebri sermone describit. et post tanta beneficia dicit eos immemores bonorum illius clementiam in amaritudinem prouocasse, ita at obsideatur ciuitas et. antequam hostium in eam fiat inruptio, gladio et fame et peste consumta sit.

haec autem uniuersa praemisit, ut consequenter illud inferret, quod in reprehensione diuinae sententiae facere uidebatur: et tu dicis mihi, domine deus: eme agrum argento et adhibe testes, cum urbs data sit in manus Chaldaeorum? haec interim tota loci istius continet περικοπή; nunc ad singula reuertamur.

tu fecisti caelum et terram in fortitudine tua magna. et Iohannes dicit de filio: omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est; haec est enim domini \'fortitudo\' apostolo conprobante: reprehensione dei uirtus et dei sapientia\'.

et in bracchio tuo extento siue excelso, quorum utrumque percutientis indicium est; hoc autem \'bracchium\', de quo et Isaias loquitur: et bracchium domini cui reuelatum est? non erit tibi difficile omne uerbum — quae enim apud homines inpossibilia, apud deum possibilia sunt — siue cui nihil est absconditum iuxta illud psalmografi dicentis: quia tenebrae non obscurabuntur a te et nox sicut dies inluminabitur.

qui facis misericordiam in milibus et reddis iniquitatem patrum in sinu filiorum eorum post eos. grandis clementia creatoris misericordiam suam in mille generationes extendere et iustitiam statim in altera generatione monstrare, quae tamen et ipsa mixta est misericordiae: non enim statim punit delinquentem. sed exspectat paenitudinem. ut, si liberi imitati fuerint parentum uitia, diu dilata poena reddatur. fortissime. magne, potens.

dominus exercituum— siue uirtutum - nomen tibi! Ista nomina potentiam indicant creatoris; ceterum proprie nomen dei \'pater\' est, quod in euangelio per dominum reuelatur dicentem: pater, manifestaui nomen tuum hominibus. magnus consilio:

et audet se quisquam domini inserere secreto et de illius iudiciis iudicare! et inconprehensibilis cogitatu:quem non conprehendit cogitatio, quomodo potest sermo conprehendere? cuius oculi aperti sunt super omnes uias filiorum Adam: frustra ergo homo putat se dei celare notitiam.

quodque infert: ut reddas unicuique secundum uias suas et secundum fructum adinuentionum suarum, hoc indicat, quod interdum pro nimia sapientia iudicia eius uideantur iniusta: quem locum apostolus plenius explicat ad Romanos: ignoras, quoDiam benignitas dei ad paenitentiam te hortatur? secundum duritiam autem tuam et inpaenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et reuelationis iusti iudicii dei. quanto igitur serior uindicta peccantium est, tanto iustior, in similitudinem Pharao, qui decem plagis ammonitus, non punitus et in duritia perseuerans ad extremum Rubri Maris fluctibus obrutus est.

Qui posuisti signa et portenta in terra Aegypti usque ad diem hanc et in Israhel et in hominibus — siue terrigenis — et fecisti tibi nomen sicut dies haec. et eduxisti populum tuum Israhel de terra Aegypti in signis et in portentis et in manu robusta et in bracchio extento et in terrore magno.

et dedisti eis terram hanc, quam iterasti patribus eorum, ut dares eis terram fluentem lacte et melle. et ingressi sunt et possederunt eam; et non oboedierunt uoci tuae et in lege tua non ambulauerunt. omnia, quae mandasti eis, ut facerent, non fecerunt; et euenerunt eis uniuersa mala haec.

De generali transit ad speciale et, quid proprie praestiterit Israheli, breui sermone percurrit. qui posuisti, ait, signa et portenta in terra Aegypti, quibus afflicta est Aegyptus, usque ad diem hanc et in Israhel et in hominibus siue terrigenis.

hoc, quod dicitur: <usque ad diem hanc\'. posterioribus copulandum est, ut legamus: \'et in Israhel et in cunctis mortalibus cotidie tua signa conplentur\'; siue aliter: signa atque portenta non solum in Aegypto perpetrasti, sed usque hodie eadem tuae misericordiae fortitudo saluauit populum tuum et uniuerso generi humano creatoris subuenis potestate\'. et hoc notandum, quod \'Israhel\' ab \'hominibus\' separat atque \'terrigenis\' iuxta illud: filius primogenitus meus Israhel.

et fecisti tibi nomen sicut dies haec: \'laudes\', inquit; ctuae totius orbis sermone celebrantur.\' et eduxisti populum tuum Israhel de terra Aegypti: pulchre dixit populum tuum\'; eo enim tempore, quo eductus est, domini imperiis seruiebat. \'eduxisti autem signis et portentis, quibus percutiebatur Aegyptus, et in manu robusta et in bracchio extento et in terrore magno,\' quando Mare Rubrum transeunti populo Israhel uiam praebuit et Aegyptium oppressit exercitum.

et dedisti eis terram hane, quam iurasti patribus eorum, ut dares eis, Abraham uidelicet et Isaac et Iacob. ergo non suo merito terram repromissionis, sed patrum accepere uirtutibus, terram fluentem lacte et melle; necdum enim solidum

poterant cibum capere, sed melle et lacte nutriebantur infantiae uel certe melle et lacte, rerum omnium ubertate et abundantia. et ingressi sunt et possederunt eam. statimque inter possessionem et inoboedientiam nihil fuit medium; ubertas enim securitatem, securitas neglegentiam, neglegentia contemtum parit.

et non oboedierunt, inquit, uoci tuae et in lege tna non ambulauerunt. frustra ergo in heremo promisere dicentes: omnia, quaecumque dominus praecipit, faciemus, non enim in sponsione, sed in opere praemium est; ad retundendam eorum inpudentiam, qui putant hominem omnia posse conplere, quae se facturum esse pollicitus est.

omnia, quae mandasti eis, ut facerent, non fecerunt; et certe se facturos promiserant. et euenerunt eis uniuersa mala haec; \'mala\' patientibus, ceterum iuxta domini sententiam \'bona\', quae reddit unicuique secundum uias suas.

Ecce munitiones exstructae sunt aduersum ciuitatem capiatur urbs data est in manus Chaldaeorumqui proeliantur aduersum eam, a facie gladii et famis et pestilentiae et, quaecumque locutus es, acciderunt, ut ipse tu cernis; et dicis mihi, domine deus: eme agrum argento et adhibe testes, cum urbs data sit in manu Chaldaeorum? Decimus annus erat regis Sedeciae; ita enim scriptum est:

uerbum, quod factum est ad Hieremiam a domino anno decimo Sedeciae, regis Iuda; tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Hierusalem et Hieremias propheta erat clausus in atrio carceris. recteque nunc dicitur: \'ecce munitiones exstructae sunt aduersum ciuitatem, ut capiatur. et urbs tradita est in manu Chaldaeorum nec habent, quos uincant, sed quos capiant: iam enim gladio, fame et peste consumti sunt et, quaecumque dixisti, uidemus esse conpleta; quomodo ergo mihi dicis, domine: eme agrum argento et adhibe testes, cum urbs data sit in manu Chaldaeorum?

\'igitur non reprehendit. sed interrogat nec tam sibi quam aliis uult discere, qui sedebant in atrio carceris et forsitan taciti reprehendebant, quomodo idem propheta, quem uerum nuntiare credebant, et urbem dicat esse capiendam et agrum emat quasi possessurus.

Et factum est uerbum domini ad Hieremiam dicens: ecce ego dominus deus uniuersae carnis; numquid mihi difficile — siue inpossibile — erit — aut abscondetur a me — omne uerbum? propterea haec dicit dominus: ecce ego tradam ciuitatem istam in manu Chaldaeorum et in manu regis Babylonis et capiet eam.

et uenient Chaldaei — aut ingredientur — proeliantes — siue uenient Chaldaei — aduersum urbem hanc et succendent eam igne et comburent eam et domos, in quarum domatibus sacrificabant Bahal et libabant dis alienis libamina ad irritandum tandum .

Tristibus laeta subiungit et post euersionem Hierusalem captiuo populo reditum pollicetur. primumque causas exponit offensae et insti furoris dei, ut, quanto maior culpa peccantium, tanto amplior in peccatores clementia creatoris.

ego, inquit, dominus deus uniuersae carnis; nequaquam cunctarum gentium ne populi Israhel aut certe, ut de sanctis crebro dicere solet: deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob,\' sed deus, inquit, uniuersae carnis, ut et rationalia et bruta animantia ipse fecisse credatur. sunt enim, qui prouidentiam creatoris usque ad rationalia confiteantur, bruta autem fortuitis casibus asserant uel perire uel uiuere; propheticusque sermo declarat nihil esse. quod fugiat prouidentiam et scientiam dei. quia alia propter se, alia in usum hominum sunt creata.

numquid mihi erit difficile — aut inpossibile aut certe abscondetur a me — omne uerbum? et supra diximus: quae apud homines inpossibilia, apud deum possibilia sunt, \'uerbum\' autem hic et in multis aliis locis pro \'rebus\' debemus accipere. quid est autem, quod factum est uerbum: propterea haec dicit dominus? quid enim praecesserat, ut causalem coniunctionem poneret dicens: propterea haec dicit dominus?

\'quia\', inquit, Ccurae meae est omnia regere, uniuersa disponere et reddere singulis iuxta uias suas, idcirco ego tradam ciuitatem istam in manu Chaldaeorum et in manu regis Babylonis et capient eam\'; primum enim uallatur exercitu et absente capitur Nabuchodonosor Sedeciasque ducitur Keblatha et ibi regi traditur.

et uenient, inquit, Chaldaei proeliantes aduersum urbem hanc c. melius Aquila, qui pro eo, quod scriptum est \'uenient\', transtulit εἰσελεσύονται, hoc est \'ingredientur\' ciuitatem; neque enim absentes erant. ut \'uenirent\', quippe qui circumdederant Hierusalem, sicut scriptura testatur: tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Hierusalem ac deinde: ecce munitiones exstructae sunt aduersum ciuitatem, ut capiatur, et urbs data est in manus Chaldaeorum. quomodo igitur uenient\', qui praesentes erant?

sed hi, qui obsidebant urbem, ingredientur\', inquit, \'et capient eam et succendent et ad solum usque comburent\' — uerbum enim Hebraicum \'bau\' ambiguitate sui et \'uenient\' et \'ingredientur\' sonat — \'et domus, in quarum domatibus sacrificabant Bahal, idolo Sidoniorum, et libabant dis alienis libamina ad irritandum me, ut non errore religionis, sed contentione quadam et in creatorem contumelias facere uiderentur.

quomodo autem periturus scribitur mundus iuxta illud, quod scriptum est: caelum et terra pertransibunt eo, quod in maligno positus sit, sic et domus ipsae et loca, in quibus flagitia perpetrata sunt, irae dei subiacent. sunt, qui contentiose illud, quod scriptum est: (locus, in quo crucifixus est dominus atque saluator, spiritaliter Gomorra et Aegyptus uocatur,\' ad ipsa loca referant. alii uero uniuersum mundum

sub nomine Aegypti et Gomorrae significari putant; ut enim Gomorra diuino igne deleta est, ita et mundum dei iudicio concremandum.

Erant enim filii Israhel et filii Iuda iugiter — sine soli — facientes mala in oculis meis ab adulescentia sua. Uerbum Hebraicum \'ach\' Aquila interpretatus est πλήν, quod coniunctionem \'uerumtamen\' significat, Symmachi prima editio et LXX et Theodotio \'solos\' interpretati sunt; secunda quippe Symmachi uertit διόλου, quem et nos in praesentiarum secuti sumus, ut diceremus \'iugiter\'.

dicamus igitur primum iuxta Hebraicum: filii Israhel et filii Iuda iugiter facientes malum. \'et decem,\' inquit, \'et duae tribus malum sine cessatione fecerunt et iugis eis fuit in pessimis operibus perseuerantia\'. si autem iugis et semper in toto populo, ubi est iustitia sempiterna?

porro iuxta LXX, qui dixerunt: soli facientes malum, oritur quaestio: num et aliae gentes eo tempore, quo Israhel Iudasque peccabant, malum non fecerant? quod sic soluitur: qui habet notitiam dei et recedit ab eo. solus peccat in oculis dei; qui uero increduli permanserunt, quasi illo non uidente et neglegente delinquunt. unde et Dauid, uir sanctus, quia corruerat in peccatum moris Uriae Bethsabee, agens postea paenitentiam loquitur: tibi soli peccaui et malum coram te feci, id est \'in conspectu tuo\'.

denique iungitur: soli facientes malum in oculis et in conspectu meo ab adulescentia sua. quodque sequitur: filii Israhel, qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit dominus, in LXX non habetur et de Hebraico additum est. quia autem ab adulescentia sua usque ad praesentem diem iugiter deliquerunt. ideo iusta sententia dei est et merito scriptura contexit:

In furore et in indignatione mea facta est mihi ciuitas haec a die, qua aedificauerunt eam, usque ad diem istam, qua aufertur de conspectu meo. Si ex eo tempore, quo ciuitatis iacta sunt fundamenta, usque in hanc diem, quando capta est atque succensa et sublata de conspectu domini, fuit semper in uitio et indignationem contra se domini prouocauit. ubi est — ut saepe iam diximus — peccatorum quies?

Propter malitiam, inquit, filiorum Israhel et filiorum Iudae, quam fecerunt ad iracundiam me prouocantes ipsi et reges eorum, principes eorum et sacerdotes eorum et prophetae eorum, uiri Iuda et habitatores Hierusalem. Quia supra dixerat: in furore et in indignatione mea facta est mihi ciuitas haec a die. qua aedificauerunt eam. usque ad diem istam, qua aufertur de conspectu meo. et nuL lum generaliter absque peccato fuisse monstrauerat, nunc per partes enumerat et reges et principes et sacerdotes et prophetas eorum et uno cuncta sermone conprehendens: uiri, inquit, Iuda et habitatores Hierusalem.

pulchreque non dixit: \’reges mei et principes mei et sacerdotes mei et prophetae mei\’, sed quia peccauerunt: reges eorum et principes eorum et sacerdotes eorum et prophetae eorum.

Et uerterunt ad me terga et non facies. Iuxta illud, quod alibi scriptum est: et uerterunt contra me scapulam recedentem. qui enim precatur, inclinata ceruice in terram pronus funditur; qui uero tergum uertit, ipso gestu corporis indicat se neglegere comminantem. (et hoc,\’ ait, \’faciebant\’.

Cum docerem eos diluculo et erudirem et nollent audire, ut acciperent disciplinam. \’Fugatis erroris tenebris et omni idolorum cultu, mea sententia confutata cotidie corda eorum inluminare cupiebam et docere, quae recta sunt\’. et ut liberum seruaret arbitrium, iungit et dicit: et nollent audire, ut acciperent disciplinam. sequitur:

Et posuerunt idola sua in domo, in qua inuocatum est nomen meum, ut polluerent eam. Non solum eo tempore ludas posuit in templo dei statuam idoli, quam in Hiezecihelis principio legimus, sed usque hodie in domo dei, quae interpretatur ecclesia, siue in corde animaque credentium ponitur idolum. quando nouum dogma construitur et iuxta Deuteronomium adoratur in abscondito; nescitis, inquit, quia templum dei estis et spiritus dei habitat in uobis?

Et aedificauerunt excelsa — siue aras — Bahalquae sunt in ualle filii Ennom, ut initiarent filios suos et filias suas Moloch. Pro \’initiarent\’ in Hebraico scriptum est \’ebir\’, quod Aquila et Symmachus \’transducerent\’, LXX et Theodotio \’offerrent\’ interpretati sunt. de (ualle filiorum Ennom\’, quae Hebraice dicitur \’Gehenna\’, supra plenius diximus, quod subiaceat Siloae fontibus et amoenitate sui. quia locus inriguus est, populum prouocauerit ad luxuriam. quam idolorum cultus sequitur.

notandumque, quod \’arae\’ et \’excelsa\’ Hebraico sermone appellentur \’bamoth\’ propter eos, qui, in Samuelis et in Regum uolumine quid significet hoc uerbum, dubitant. Moloch idolum Ammanitarum est, quod in \’regem\’ uertitur; significat autem scriptura diuina, quod non solum Bahal idolo, sed et Moab cunctisque daemonibus in ipso loco populus seruierit.

Quod non mandaui eis nec ascendit in cor meum, ut facerent abominationem hanc et in peccatum deducerent ludam. Proprie tribus luda et Beniamin in fano Bahalis et Moloch daemonum simulacra ueneratae sunt; uitulos autem aureos in Bethel et Dan decem tribus, quae appellabantur Samaria, Ioseph et Ephraim. coluisse perspicuum est. tantumque mali fuit, quod a populo factum est, ut testetur deus se numquam cogitasse nec ascendisse in cor suum, quae illi facturi fuerint. omnia autem haec ἀνθρωποπαθῶς.

Et nunc propter ista haec dicit dominus deus Israhel ad ciuitatem hanc, de qua uos dicitis, quod tradatur in manu regis Babylonis in gladio et in fame et in peste.

Sicut sperantibus auxilium et in murorum firmitate fidentibus prophetatur, quod subuertenda sit Hierusalem et populus iam iamque capiendus et ante captiuitatem gladio et fame et peste periturus, sic desperantibus et post subuersionem urbis nullam salutem exspectantibus suum auxilium pollicetur, ut et confidentia atque superbia iustam sententiam et desperatio atque humilitas dei mereatur auxilium.

Ecce ego congregabo eos de uniuersis terris, ad quas eieci eos in furore meo et in ira mea et in indignatione grandi, et reducam eos ad . locum istum habitare eos faciam confidenter et eruntmihi in populum et ego ero eis in deum. et dabo eis cor unum et uiam unam, ut timeant me uniuersis diebus et bene sit eis et filiis eorum post eos.

e feriam eis pactum sempiternum — siue dispOnam testamentum aeternum — et non desinam eis bene facere et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. et laetabor super eis, cum bene eis fecero- siue et uisitabo eos, ut bene eis faciam -, et plantabo eos in terra ista in ueritate — siue in fide - in toto corde meo et in tota anima meo.

lulti hoc putant tempore Zorobabel, filii Salathiel, et Hiesn, filii Iosedec, sacerdotis magni, quando Aggeus et Zacharias prophetarunt sub Ezra sacerdote. conpletum, quando et aedificatum est templum et sub Neemia exstructi muri per circuitum, ut, quos ante eiecerat in furore et ira et in indignatione grandi de Hierusalem et in toto orbe disperserat, postea reductos habitare fecerit confidenter, et fuisse eos in populum dei et dominum fuisse in deum eorum et cetera, quae scriptura contexit.

sed quomodo hoc possit illi tempori coaptari: habitare eos faciam confidenter et feriam eis pactum sempiternum siue disponam illis testamentum aeternum, penitus non potest approbari, quippe quos legerimus et sacra narret historia non solum a uicinis gentibus, sed a Persis quoque et Macedonibus et Aegyptiis Romanisque saepe captos et hucusque seruire.

omnia igitur ad aduentum referenda sunt saluatoris, quae nostro et fidei tempore uidemus expleta, et electio — iuxta apostolum — reliquiarum salua facta est et in Christo habitant confidenter et datum est eis cor unum iuxta illud, quod scriptum est: multitudinis autem credentium erat cor et anima una.

et uiam. inquit, unamillum, qui dicit: ego sum uia et uita et ueritas —. ut timeant me uniuersis diebus; principium enim sapientiae timor domini. uniuersis, ait, diebus: quod si Iudaeis non conpetit, de nostro populo accipiendum est, cui et bene fuit et est et erit, non solum ipsis. sed et filiis eorum post eos; nobiscum enim pactum pepigit sempiternum nec desinet nobis ultra bene facere.

quodque sequitur: et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me, sic liberum donat arbitrium, ut tamen ipse timor, qui tribuitur, gratia permaneat largitoris. \'cumque eis,\' inquit. (bene fecero, laetabor et gaudeam\', creaturam

uidelicet suam esse saluatam; unde et gaudium angelorum est in caelis super uno peccatore agente paenitentiam.

et plantabo, inquit, eos in terra ista in ueritate siue — ut LXX transtulerant — in fide. ut proprie significet populum Christianum, cuius religio fides est. in toto corde meo et in tota anima mea: si domini uerba sunt saluatoris, recte cor et anima eius creditur, qui dicit in euangelio: potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi illam\'; sin autem ex persona dei patris accipimus, secundum illud intellegendum est: numenias uestras et sabbata et dies festos odit anima mea.

Quia haec dicit dominus: sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande. sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos. et possidebuntur agri in terra ista, de qua uos dicitis, quod deserta sit eo, quod non remanserit homo et iumentum, et data sit in manu Chaldeorum.

agri pecunia ementur et scribentur in libro. inprimetur signaculum et testis adhibebitur in terra Beniamin et in circuitu Hierusalem, in ciuitatibus Iuda et in ciuitatibus montanis et in ciuitatibus campestribus — siue sephela — et in ciuitatibus nageb — hoc est: quae ad austrum sunt —, quia conuertam captiuitatem eorum. ait dominus.

Haec iuita iitteram licet in typo praecesserint post reditum de Chaldaeis, quando ad Cyri regis imperium reuersus est populus in Iudaeam. tamen spiritaliter in Christo et in apostolis uerius pleniusque complentur. tunc et homines et iumenta reducti sunt in ecclesiam iuxta illud, quod scriptum est: homines et iumenta saluos facies, domine, rationales quique et simplices. tunc agri emti sunt pecunia, ut faceremus nobis amicos de iniquo mammona, qui nos reciperent in aeterna tabernacula. et scripti in libro — hau dubium quin uiuentium — et inpressum est signum uexilli dominicae crucis atque uictoriae et testes adhibiti sunt. martyres et omnis sanctorum chorus.

in terra Beniamin, ubi est domini \'fortitudo\': et in circuitu Hierusalem, in qua est \'uisio pacis\' et aeterna securitas; in ciuitatibus Iuda, in quibus est Christi uera\'confessio\'; et in ciuitatibus montanis. de quibus uua est. de qua dicit: non potest ciuitas abscondi in monte posita; et in ciuitatibus campestribus — quae Hebraice appellantur \'sephela\' —, ut de profundis atque depressis per camporum aequalitatem ad summa gradiamur; et in ciuitatibus, quae ad austrum sunt — quod\'nageb\'LXX transtulerunt —, ubi est \'meridies\' et plena lux ueritatis.

cum autem haec omnia facta fuerint, implebitur. quod scriptum est: conuertam captiuitatem eorum, ait dominus, de quo scriptum est: ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem; accepit siue — ut apostolus ait — dedit dona hominibus.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of *S. Eusebii Hieronymi Opera* edited by Siegfried Reiter (Vienna, Leipzig, Tempsky, Freytag: 1913) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 59), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.